AUTHOR:

MULLER, FRANZ

TITLE:

MONUMENTIS AD ODYSSEAM...

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

1908

Master Negative #

91-80202-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Müller, Franz, 1886-
De monumentis ad Odysseam pertinentibus caput primum, adiecta est reliquorum capitum epitome. Dissertatio inauguralis philologica quam ... scripsit Franciscus Mueller ... Halis Saxonum, typis Wischani et Burkhardti, 1908.
48 p. 21½ cm.

Thesis, Halle.

Volume of pamphlets

82037

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9/3/91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE MONUMENTIS AD ODYSSEAM PERTINENTIBUS

CAPUT PRIMUM

ADIECTA EST RELIQUORUM CAPITUM EPITOME

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA
HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHO-
RUM ORDINE IN ACADEMIA FRIDERICIANA
HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
RITE CAPESSENDOS SCRIPSIT

FRANCISCUS MUELLER
MAGDEBURGENSIS

HALIS SAXONUM
TYPIS WISCHANI ET BURKHARDTI
MDCCCCVIII

DE DISSERTATIONE PROBANDA
AD PHILOSOPHORUM ORDINEM RETTULIT
CAROLUS ROBERT.

MEMORIAE PARENTUM CARISSIMORUM
SACRUM

De monumentis ad Odysseam spectantibus disputare constitui, in quibus colligendis atque explicandis iam multi viri docti sunt versati; quorum Overbeck[1]), sicut ante eum Inghirami[2]), Odysseae ordinem secutus artis opera, quae ad singulos libros pertinent, enumerat, optime, si poetae textum imaginibus illustrandum curaveris, sed, qui artis antiquae hac in re et indolem et progressum indagare vult, ei prorsus alia via progrediendum est. Itaque iam Welcker[3]) plura conferre ad recte cognoscendam artis historiam arbitratus est, si singula artis genera distinguerentur, ita ut, quid statuarii, scalptores, vasorum pictores in reddendo carmine heroico praestitissent, uno in conspectu appareret. Sed multo rectius non ad genera, sed ad aetates artium monumenta disponenda sunt. Hanc viam primus ingressus est Johannes Bolte, qui in dissertatione, quae est de monumentis ad Odysseam pertinentibus, haec monumenta ita digessit, ut in unum componeret, quae eadem aetate confecta sunt, quibus ea eiusdem argumenti opera, quae postea confecta sunt, annexuit. Sed cum ex eo tempore, quo Boltius scripsit, viginti quinque anni praeterierint, denuo de Odysseae monumentis exponere supervacaneum non est, primum, quod tot nova artis opera post Boltii dissertationem editam accesserunt, tum, quod ille capitibus selectis partem tantum monumentorum tractavit et aetatum singularum indolem diversam magis quam par erat neglexit. Sed priusquam ad rem ipsam aggrediar, tres etiam viri docti nominandi sunt, qui in hac studiorum provincia non sine fructu versati sunt, Alexander Conzeus

[1]) Galerie Heroischer Bildwerke zum Theban. und Trojan. Heldenkreis p. 749 sq. t. XXXI sq.
[2]) Galleria Omerica. III.
[3]) Alte Denkmäler, V. p. 222, 224 [1].

et Luckenbachius, quorum alter in Instituti archaeologici Germanici, quod Romae est (1872 p. 187 sq.), alter in Fleckeisenei Annalibus (Suppl. XI. 1880, p. 491 sq.) de nonnullis, quae huc pertinent, artis operibus sollerter et acute egit, et Schneiderus, qui in libro, qui inscribitur „Der trojan. Sagenkreis in der ältesten griech. Kunst" 1886, p. 53 sq. de omnibus, quae tum nota erant, archaicae artis operibus, quae quidem ad Odysseam pertinent, accurate et diligenter disputavit.

Pertinent monumenta servata a temporibus antiquioribus usque ad seriorem Romanorum aetatem. At si ad singularum aetatum naturam atque ingenium spectas, facile tria temporum spatia distinguuntur, quorum primum est inde ab artis incunabulis usque ad bella Persica, alterum a bellis illis usque ad Alexandri Magni aetatem, tertium ab Alexandro usque ad interitum imperii Romani. Sunt igitur eaedem aetates, quas, cum de artium ipsarum historia agimus, archaicam, florentem, Hellenisticam vocare consuevimus; nam aetas Romana eis quidem in rebus, de quibus quaestio est, ab Hellenistica nullo modo differt.

I.

De artis archaicae operibus.

Ex Ulixis laboribus tres tantum, quantum scimus, ab antiquioris vetustatis artificibus imagine expressi sunt: Cyclopis excaecatio, Circes artes magicae, Sirenum cantus. Nam artes temporibus illis nascentes et adolescentes portentosa et mirabilia, quae harum fabularum propria sunt, quam maxime in deliciis habuerunt.

1. De Ulixe et Polyphemo.

Incipiamus a Cyclopia, cuius ab artificibus vetustioribus haec momenta repraesentata invenimus. Modo Ulixes Cyclopi poculum vini plenum porrigit, modo palum oculo eius infigit, modo ex antro sub arietis ventre occultus effugit. Habet autem ars archaica hoc proprium, ut non actionis unitatem observare curet, sed complura agendi momenta una imagine comprehendat.

A. Ulixes Polyphemum excaecans.

Primum locum obtinet vas Aristonothi: cratera est Caere in oppido a. 1869 effossa, figuris nigris ornata, Graeca ex officina, olim ab Alexandro Castellani possessa, nunc Romae in museo Etrusco Capitolino.[1])

In latere antico[2]) Ulixes quattuorque eius socii, barbati nudi gladio armati, a sinistra rapido cursu progredientes Polyphemo humi sedenti, qui sinistra manu nititur, longum palum, quem ille dextra manu corripit, in faciem infigunt. Mirum est interpretes, quis e quinque illis Ulixes esset, inter se dissensisse, cum ultimus, qui non procedere, sicut ceteri, sed retrorsus, pede sublato et margini sinistro picturae impresso, palo extremo inniti videtur, aperte secundum haec Odysseae verba delineatus sit ι v. 382 sq. *οἱ μὲν μοχλὸν ἑλόντες ἐλάινον, ὀξὺν ἐπ' ἄκρῳ ὀφθαλμῷ ἐνέρεισαν· ἐγὼ δ' ἐφύπερθεν ἐρεισθεὶς*[3]) *δίνεον*. Itaque quintus ille Ulixes est. Pone Cyclopem corbis ad caseos siccandos constituta est. Supra Polyphemum artificis nomen: *Ἀριστόνοθος ἐπόισεν*[4]) legitur, unde non sine probabilitate hoc vas ex officina Asiae Minoris prodiisse concluditur. Saeculo a. Chr. n. septimo vix posterius est.

Quam imaginem qui cum Homeri verbis comparaverit, Aristonothum Odysseae versuum memoriam tenuisse negare

---

[1]) Förster, Ann. d. I. 1869, p. 157 sq.: Mon. d. I. IX, t. 4; Wiener Vorlegeblätter 1888 t. I. 8; Bolte l. c. p. 2 sq. A.; Schneider l. c. p. 53; Klein, Griech. Vasen mit Meistersignaturen 1887, p. 27 sq.; Kretschmer, Griech. Vaseninschr. 1894, p. 10 sq.; Helbig, Führer² 1899 I. p. 435 n. 641.

[2]) In altero latere pugna navalis repraesentata est.

[3]) Sic Aristarchus, *ἀερθείς*: Schol.

[4]) Cf. Wilamowitz, Hermes XXII, 1887, p. 118; Kretschmer l. c. p. 10.

vix audebit. Ulixes enim, ut iam supra monui, eodem habitu, quo illic describitur, delineatus est; praeterea numerus sociorum congruit (cf. *ι* v. 335: *τέσσαρες, αὐτὰρ ἐγὼ πέμπτος μετὰ τοῖσιν ἐλέγμην.*), denique ne corbem quidem artifex omisit, in qua Polyphemus caseos siccasse dicitur: *ι* v. 219: *ταρσοὶ μὲν τυρῶν βρῖθον.*

Quod vero Polyphemus non somno oppressus, ut eum cum in artis Hellenisticae monumentis, tum iam antea in vase Richmondensi deprehensuri sumus, sed vigil et manu elata palum retinens repraesentatus est, dandum id quidem maxime artis archaicae proprietati illi, qua actionis unitatem neglegi dixi, sed nescio an Aristonothus simul eos Odysseae versus in mente habuerit, quibus Polyphemus experrectus palum illum ex oculo suis ipsius manibus eripuisse dicitur: *ι* v. 396: *αὐτὰρ ὁ μοχλὸν ἐξέρυσ᾽ ὀφθαλμοῖο πεφυρμένον αἵματι πολλῷ.*

2. Aristonothi craterae et indole et aetate proxima est cylix Cyrenaica Nolae effossa, nunc bibliothecae publicae Parisinae.[1])

In interiore cylicis parte quattuor viri nudi dextrorsum ad Polyphemum in saxo sedentem et membra humana semiesa manibus tenentem accedunt longum palum, quem in umeris portant, dextro eius oculo infixuri. E quibus primus altera manu Cyclopi poculum porrigit.[2]) Ineunte saeculo sexto Cyrenis ficta esse videtur.

Hic igitur pictor non solum vigilem Polyphemum esse voluit, sed etiam sociorum Ulixis crura epulantem vinique poculum mox accepturum repraesentavit. Multo longius igitur, quam Aristonothus in diversis actionibus miscendis progressus est. Contra posterioris artis archaicae vascularii

---

[1]) Mon.: I t. 7. 1; Overbeck l. c. t. XXXI. 4; Luckenbach l. c. p. 505 sq.; C. Robert, Bild und Lied p. 19; Schneider l. c. p. 53; Bolte l. c. p. 5 B.

[2]) Serpentem supra, piscem infra delineatum ad vacuum explendum servire hodie vel pueri sciunt.

singulis momentis accuratius distinctis aut poculum porrigentem Ulixem aut palum defigentem exprimunt.

3. Aristonothi craterae non dissimilis scyphus est musei Britannici[1]).

In antro, quod rupe alta significatur, Cyclopem ingenti corporis figura humi sedentem conspicimus; dextra manu, ut in Aristonothi cratera, palum corripit, quem tres viri barbati gladio armati a sinistra progredientes sinistro eius oculo infigunt. E quibus primus sinistrum pedem sublatum Polyphemi pectori imprimit, ut paene credideris pictorem vocabulum *ἐφύπερθεν* non ad palum, sed ad Cyclopem rettulisse; nam primam illam figuram Ulixem esse pro satis certo habeo.

4. Huic scypho similis est Boeoticus scyphus musei Berolinensis[2]).

Cyclops etiam immaniore corpore, quam in vase antecedenti reclinatus iacet; in facie contemplanti adversa duo oculi sunt, cum in ceteris omnibus vasis, quae saeculo quinto antiquiora sunt, facies Cyclopis obliqua sit, ita ut unus tantum oculus conspiciatur. Poculum, quod humi iacet, manibus ebrii elapsum est. Ulixes et socii duo longum palum dextro eius oculo infigunt.

De altero vasculi latere, in quo tres Sirenes delineatae sunt, infra dicturus sum.

5. Amphora musei Berolinensis, Capuae effossa et a. 1847 Neapoli a Theodoro Panofka empta[3]).

Ulixes et socius Polyphemum retro cadentem et, sicut in cylice Cyrenaica, semiesa membra manibus tenentem palo incessunt; quem quod non in oculum, sed in

---

[1]) Mon. X. t. 53, 2; Heydemann, Ann. 1878 p. 227; Walters, Catal. of vas. of Brit. Mus., II. B. n. 154 p. 109 sq.; Bolte l. c. p. 8 D; Harrison, Myths of the Od., 1882, pl. 10a; Schneider. l. c. p. 53.

[2]) Furtwängler, Arch. Anz. 1895, p. 34 n. 22. fig.

[3]) Panofka, Parodieen t. 3, 1, 2, p. 6; Furtwängler, Berlin. Vasens. n. 2123; Luckenbach l. c. p. 506; Bolte l. c. p. 8 F.; Schneider l. c. p. 53.

pectus Cyclopis infigunt, id socordiae pictoris tribuendum esse recte statuit Sauer[1]). Eo sagacius fecit, quod ab altera parte post socii cuiusdam occisi corpus truncatum et ramis ardentibus impositum[2]) tertium socium addidit, qui terrore commotus manibus porrectis dextrorsum fugit, ita ut audaciae unius timor alterius opponatur atque non actio tantum, sed etiam animorum sensus diversi exprimantur. Quod num primus fecerit, valde dubito, sed bene fecerunt posterioris aetatis pictores, quod egregium hoc exemplum a quoviscumque datum secuti sunt.

6. Dormientem Polyphemum primum invenimus in oenochoa Attica musei Parisini, quod dicitur Louvre[3]).

Polyphemus sinistra manu clavam tenens, dextram ad dextrum genu apponens in saxo dormitat. Ulixes et socius petasati ardentem palum oculo eius infixuri sunt. A sinistra alter socius palum igni percandefacit. Attamen cave, ne duo eiusdem actionis momenta hic una imagine comprehensa esse dicas; immo ut, quo modo palus praepararetur, ostenderet, palum alterum subsidiarium praeparari finxit artifex[4]).

Inter vasa rubris figuris ornata semel tantum haec fabula invenitur, in cratera, quae in urbe Richmond in collectione Francisci Cook adservatur[5]).

---

[1]) Torso v. Belvedere, 1894 p. 46.

[2]) Od. ι. v. 291: τοὺς δὲ διὰ μελεϊστὶ ταμὼν ὡπλίσσατο δόρπον.

[3]) Bolte l. c. p. 8 E.; Schneider l. c. p. 53; Saglio, Gazette archéol. 1887, 1 t. 1 p. 1 sq.

[4]) Non huc pertinet fragmentum vasis Cyrenaici prope Cosam, Etruriae urbem, inventum ab Helbigio huc relatum, quod non ad Ulixis, sed ad Persei fabulam pertinere nomen adscriptum [Π]ερεύς = Περσεύς docet: Bull d. I. 1869 p. 34; Bolte l. c. p. 7; Schneider l. c. p. 53.

[5]) Winter, Jahrb. d. archaeolog. Inst. 1891, p. 271 sq. t. 6; Sauer l. c. p. 47 sq.; Newcomer, De Cyclope Homerico et Euripideo p. 5 sq.; Huddilston, Greek trag. in the light of vase paint. 1898 p. 141 sq. fig. 22.

Ut Euripides in Cyclope v. 454—460 Ulixem consilium suum satyrorum choro narrantem facit, ita hic, dum Polyphemi excaecatio praeparatur, duo satyri accurrunt et, nisi egregie fallor, manibus plaudunt, ita ut pictor canticum v. 656—662 ἰὼ ἰώ· γενναιόταθ᾽ ὠθεῖτε κ.τ.λ. in animo habuisse videatur. Itaque ex Euripide pendere pictorem apertum est. Praeterea vero hic primum figuras Polygnoteo more dispositas invenimus. In inferiore imaginis parte Cyclopem dormientem[1]), conspicimus; pelle indutus est, qua eodem tempore etiam Gigantes vestiri coeperunt; corporis positio eadem est, quam postea artifices in Ariadna dormienda adhibere consueverunt, quae tamen non dissimilis iam in cylice Brygo vulgo tributa occurrit (Mon. d. Inst. XI. 20). Supra eum tres Ulixis socii ingentem arboris truncum ambabus manibus tenent, a sinistra alii duo faces ardentes adportant; a dextra Ulixes adstat, facem, ut videtur, et ipse manu demissa tenens. Satyris adversus stat, sed ad truncum respicit, tamquam omnia dirigens. Permirum est iuvenem eum esse et imberbem, id quod posteriore demum aetate saepius evenit, sed si statum attenderis, eundem eum esse ac statuarum Polycletearum facile animadvertes. Itaque non sine probabilitate statuere mihi videor pictorem aut ipsum aut illum, cuius exemplum imitatus est, statuam quandam ex schola illa provenientem, Mercurium, ni fallor, in usum suum convertisse et eiusdem exempli leves quoque genas retinuisse. In urna quoque Etrusca, quae est apud Brunnium t. LXXXVII. 3. Ulixem supra Polyphemum dormientem stantem, socios quattuor a sinistra (nam aliter disponi spatii angustiae vetabant) truncum adportantes videmus. Quae similitudo ea est, ut et vas Richmondense et urnam illam ceteraque, in quibus Ulixes eundem locum obtinet, monumenta ad idem exemplum, sive tabulam

---

[1]) Timanthem quoque pictorem Polyphemum dormientem cum satyris repraesentavisse Plinius l. XXXV. 74 narrat, sed pusillos pinxit et thyrso Cyclopis pollicem metientes.

pictam sive parietem, revocare debeamus. Hoc igitur vas saeculo quinto exeunte ex officina Italica prodiisse videtur.

Haec vascula magno temporis intervallo sequuntur Etrusca, quae huc pertinent, monumenta. Primum in pictura parietaria[1]) sepulcri Tarquiniensis, quod ab Orco nomen cepit, solus Ulixes ingentem palum unico Polyphemi oculo infigit; ille, ut in vasculis n. 1. 3, palum dextra corripit. Pone Cyclopem oves in antro inclusae conspiciuntur. Utrique figurae nomen adpictum est (Cuclu, Uthuzie). Tum ex urnis ab Henrico Brunn egregie editis et explicatis duae huc pertinent. Quarum in una, quae Florentiae adservatur (t. LXXXVI. 1), Polyphemo in antro sedenti ab una parte Ulixes poculum porrigit, ab altera socius Ulixis facem ad caput admovet, ut paene cylicis Cyrenaicae memineris, nisi quod hae duae actiones illic eidem Ulixi tributae, hic inter ipsum et socium divisae sunt. Accedit, quod, ut res, quomodo illic depicta est, evenire non potuit, ita potuit, quomodo in urna repraesentatur, nimirum dum Polyphemus poculum ab Ulixe avide accipit, a tergo ab Ulixis socio face feritur. Neque tamen alium atque Odysseam fontem subesse statuendum neque cum Brunnio artifex stoliditatis accusandus est; immo prorsus aliud subesse ipsius Polyphemi figura docet, qui, vultu paene nobili praeditus et pallio vestitus, regis vel herois potius speciem praebet quam monstri. Accedit, quod sociorum semiesorum omne vestigium deest. Atque iam Brunnius antrum Polyphemi eodem modo repraesentatum esse atque antrum Philoctetae in urnis t. LXIX sq. redditis animadvertit. Sed hac via ulterius procedendum est; totum enim compositionis schema de eis urnis depromptum est, quae arcus Philoctetei furtum exhibent (t. LXXI, LXXII): Ulixes secundum exemplum, de quo mox dicturi sumus (p. 12 sq.), paullo variatus, Philoctetes in Polyphemum, Diomedes in socium facem tenentem mutatus

[1]) Cf. Helbig. Ann. 1870. p. 41; Mon. IX, t. 15, 7; Bolte l. c. p. 9.

est. Hinc illa huius urnae a ceteris ad idem factum pertinentibus operibus diversitas.

De altera urna, quae Volaterrae est (t. LXXXVII. 3), iam supra p. 7 locuti sumus. Itaque nihil addendum est, nisi numerum sociorum, sicut apud Aristonothum, eundem esse atque in Odyssea, quod, cum in opere Etrusco casui tribui possit, tamen silentio praetereundum non est. Et cum motuum diversitate quattuor hi socii non incommode inter se distinguantur, quintus anxie arborem ante speluncam stantem amplectitur; quem ut ipsum Ulixem, id quod urnarum opificibus in deliciis est, lorica ornatum videmus. A parte sinistra navis Ulixis cum gubernatore conspicitur. Ulixis figura, quamquam maximam partem deleta est, tamen cognoscitur eum sublata manu omnia direxisse. Quod ut huic urnae cum vasculo Richmondensi commune est, socius perterritus cum amphora Berolinensi.

Huic urnae non dissimile anaglyphum Catinense est, quod Robertus, quamquam inter sarcophagos edidit, tamen parieti ornando serviisse putat (Antike Sarkophagrel. II n. 147). Medium locum Polyphemus ebrius tenet, ut in vasculo Richmondensi in saxo dormiens dextra manu in pectore posita, sinistra dependente satyro, qui olim in aedibus Barberinorum erat, simillimus. Poculum manibus Cyclopis elapsum humi iacet. Prope eum ovis in solo cubat. Ulixes ut in vase Richmondensi et in urna Etrusca supra Cyclopem conspicitur, sed dextra cacumen pali tenuisse videtur, quem duo eius socii admovent. Anxiosi socii partes puer a dextra parte adstans habet, quam, tamquam de comissatione solemni ageret, vini ministerio functum esse et cyathus, quem olim manu tenuisse videtur, et tunica subcincta docent.

Accedunt sarcophagi Neapolitani fragmenta duo (Robert l. c. n. 148 a, b.), quorum unum Cyclopis partem superiorem cum pali cacumine ardenti, alterum duorum sociorum corpora truncata continet. Eundem sarcophagum alias quoque eiusdem fabulae scenas exhibuisse infra videbimus.

Tria igitur haec anaglypha, urnam dico Etruscam, tabulam Catinensem, sarcophagum Neapolitanum, ita comparata sunt, ut omnia ad idem exemplum redire videantur, quod opus statuarium fuisse, statuarium vero antiquiorem illam picturam, de qua p. 8 dixi, in usum suum convertisse infra demonstrare conabor.

B. Ulixes Polyphemo poculum porrigens.

Extat in museo Bostoniensi cylix figuris nigris ornata, quae in uno latere Cyclopis, in altero Circes fabulam exhibet[1]). Atque de hac infra videbimus. Illud vero latus, quod Cyclopiae scenam continet, magnam partem deperditum est. Restant tamen haece: media imagine Cyclops ad dextram versus ingenti corpore nudus altero genu nixus (id quod ideo monendum est, quod in vasis eis, de quibus in capite antecedenti locuti sumus, aut sedet aut iacet), ex poculo ab Ulixe oblato utraque manu sublata bibere videtur. Ulixis figura miserrime trunca est; id tamen constat eum oenochoam sinistra manu tenere, res plane singularis, quae fortasse inde explicatur, quod dextra manu palum tenuit. Quod si certum esset, haec cylix primae potius classi adnumeranda et post cylicem Cyrenaicam inserenda esset. Sed cum de opinione incerta agatur, eam hoc capite tractare malui, eo magis, quod, si coniectura mea vera esset, Ulixem necesse esset solum palum illum tenuisse; nam post eum Minerva, chitone induta, casside, hasta, clipeo insignis, adstat[2]). Post deam barbatus quidam Ulixis socius abscedens conspicitur, Eurylocho, qui in altero vasculi latere est, non dissimilis. Pone Polyphemum alter Ulixis socius nudus

[1]) Trustees of the mus. of Fine Arts, Twenty fourth annual report for the year ending Dec. 31. 1899, Boston 1900, p. 60 n. 16; Arch. Anz. 1900, p. 219 n. 16.

[2]) Addita est haec Ulixis dea tutelaris ex opinione populari; nam in Odyssea eam in Phaeacum demum insula ad Ulixem accedere, cum in Circes insula Mercurius potius ei succurrat, nemo est qui ignoret: cf. Kayser, Homer. Abhandl. ed. Usener p. 34 sq.

magnum utrem vinarium adfert, tertius, ut in amphora Berolinensi, effugit, quartus accurrit, uterque destrictum gladium dextra tenens; barbati sunt omnes. Adpictae sunt litterae sensu carentes.

Post hoc vasculum magna lacuna hiat; nam quinto et quarto saeculo in artis operibus, quae quidem aetatem tulerunt, poculi porrigendi scena prorsus desideratur.

Sed posteriore aetate haec scena in diversarum artium operibus non raro occurrit, quae ad idem omnes exemplar redire verisimile est: statuae sunt, anaglypha, lucernae, gemmae.

E statuis primo loco nominandum est signum marmoreum Polyphemi musei Capitolini.[1])

Cyclops ingenti corporis magnitudine in saxo sedet, manu sinistra Ulixis socium tenens, cui ab XVIII. saeculi marmorario Bacchi infantis caput perperam adfixum est. Idem sive signum Panis imaginem esse ratus sive Theocriti recordatus syringem dextrae manui inseruit, quam ad accipiendum poculum extensam fuisse consentaneum est. Ulixem, qui ambabus manibus poculum porrigit, quondam adversus hoc Polyphemi signum stetisse apparet.

Simillimum est sigillum aereum bibliothecae Parisinae arte satis rudi elaboratum.[2]) Sed cum dextra Cyclopis manus languida dependeat, hoc signum non cum Ulixis figura coniunctum, sed solum per se fuisse apparet. Nihil igitur voluit artifex, quam Polyphemum vino somnoque gravem ostendere.[3])

[1]) Overbeck l. c. t. XXXI. 19; Robert l. c. p. 160 fig.; Helbig l. c. p. 268 n. 415.

[2]) Rochette, Mon. Ined. t. 62. 2; Babelon et Blanchet Bronzes de la bibl. nation. 1895, p. 350 n. 812; Overbeck l. c. p. 765 n. 18; Robert l. c. p. 160.

[3]) Similiter iam vetustus quidam figulus Boeoticus solum Polyphemum forma depravata fecit humi subsidentem et sinistra magnum poculum tenentem, quod sigillum nunc in museo Berolinensi adservatur n. 8394: cf. Arch. Anz. 1895 p. 128 n. 18.

Capita quoque singula Polyphemi Homerici, quae tertium

Ulixem poculum porrigentem duo signa marmorea ostendunt: unum in museo, quod Chiaramonti vocatur, adservatur.[1]) Perperam marmorarius, qui statuae supplendae munus suscepit, dextrae manui parvum poculum inseruit, sinistram demissam esse voluit, cum ambas manus magnum scyphum, *κισσύβιον* illud Homeri, tenuisse et per se pateat et sequentia opera doceant, imprimis alterum eiusdem statuae exemplar, quod Romae in villa Pamfilia est.[2])

Proxime ad has statuas accedit Ulixis figura in urna Etrusca musei Florentini (Brunn t. LXXXVI. 2), in qua etiam Polyphemus statuae Capitolinae simillimus est. Praeterea in parte sinistra duo Ulixis socii conspiciuntur, quorum unus e lagoena vinum in crateram infundit, alter manu oculum tegens, quem gestum *ἀποσκοπεύειν* vocasse Graecos nemo nescit, Ulixem observat. A dextra parte socius armatus accurrit, qui Ulixis figurae respondet. Sed permirum est inter hunc socium et Polyphemum arietem conspici, cuius sub ventre alius socius latet, dum caput animalis a quinto socio pertrectatur. Itaque nullo modo negari potest duo diversa temporis momenta hic coniungi, id quod rarissime in urnis Etruscis observatur; sed non minus certum est opificem Etruscum exemplum ante oculos habuisse, in quo Polyphemus arietem pertrectando scrutans expressus fuisse debet, quod eo magis monendum est, quia talis scena in imaginibus conservatis usque ad hunc diem nondum inventa est. Sed idem opifex Etruscus pro Polyphemo socium quendam Ulixis substituit, aperte

---

oculum inter communes duos vix adumbratos in nasi radice habent, reperta sunt: cf. Overbeck l.c.p. 768; Berlin. Mus. Ant. Sculpt. p. 106 n. 244; Sauer l. c. p. 46 [128a]; Ronchand in Daremberg et Saglio, Diction. des ant. I. 2, 1887, p. 1695 [34].

[1]) Cf. Brunn, Ann. 1863, p. 423 sq. t. O. 1. 2; Helbig l. c. p. 68 n. 127 (704); Amelung, Vatican. Mus. I. 704.

[2]) Winckelmann, Mon. Ined. I. n. 154; Overbeck l. c. t. XXXI. 23; Reinach, Rép. de la stat. I. p. 502 pl. 833 a. n. 2087 a.

id agens, ne bis eadem figura in eadem imagine occurrat. Itaque videmus nihilominus unitatem temporis ei cordi fuisse; nam cogitatione fingere nobis possumus eodem tempore, quo Polyphemus poculum accipit, socium illum Ulixis sub ariete occultum evadere.

Sequitur fragmentum formae vasculi sigillati, quod in museo Bonnensi adservatur[1]), cuius ectypon benigne misit Loeschkius: In antro, quod rupe impendenti significatur, Cyclops ingens et barba et coma hirsuta in saxo sedet; sinistra dextrum bracchium socii Ulixis arripit; hic inter Polyphemi pedes iacet, ut in signo Capitolino, nisi quod in hoc vasculo mortuus esse videtur. Dextra manu Cyclops poculum, quod Ulixes pileatus et exomide vestitus ambabus manibus ei offert, accepturus est. Pone Ulixem alter socius, exomide vestitus et ipse, ambabus manibus utrem vinarium adportat; ad dextram Polyphemi aries, quantum cognosci potest, humi iacet, ut in anaglypho Catinensi.

Accedunt lucernae e quibus hae commemorandae sunt.

1. Olim in Henrici Brunn possessione, ab eo Neapoli comparata et Ann. 1863 t. O. 3, edita[2]). Perdrizet, Rev. archéol. XXXI, p. 35 delineationem Brunnianam accuratam esse negat, cum Polyphemus duos Graecos devorans repraesentatus sit. Quod si recte dicit artifex Homeri verba *ι* v. 344 *σὺν δ' ὅ γε δὴ αὖτε δύω μάρψας ὡπλίσσατο δόρπον* accurate expressit.

2. Musei Berolinensis Priene in urbe effossa.[3]) Inter Ulixis et Polyphemi capita littera Y legitur, fortasse no-

---

[1]) Alterum exemplum extat in antiquario Berolinensi cf. Sellers, quae idem monumentum perperam descripsit. (Journ. Hell. stud. XIII 1892/3 p. 6. Adn.)

[2]) Cf. Robert l. c. p. 160; Helbig l. c. p. 68 fig. 10.

[3]) Wiegand et Schrader, Priene p. 453 n. 188 fig. 188 Abb. 561.

minis *Κύκλωψ* reliquum. Alia exempla in museo Atheniensi et in museo Alaoui Tuditani extant.[1])

Similiter atque in formis vasculorum, de quibus ante egi, in his lucernis Ulixes magnum poculum porrigit Polyphemo in saxo sedenti, qui sinistra socium Ulixis arripuit.

Denique in alia lucerna musei Berolinensis Polyphemus solus dextra poculum tenens est expressus: cf. Robert l. c. p. 160 fig.; Perdrizet l. c. p. 35[6].

Porro inter musei Parisini, quod Louvre vocatur, monumenta Borghesiana tripodis aerei marmorea imitatio est[2]) intra pedum intervalla easdem fere figuras, quamquam et misere truncatas et a marmorario XVII. saeculi turpiter depravatas, exhibens ac lucernae eae, quas enumeravi: videmus Ulixem Polyphemo iam ebrio in saxo sedenti poculum offerentem, quod Cyclops dextra manu prehendit, dum sinistra socium Ulixis arripit. Post Ulixem alter socius utrem vinarium tenet. De huius anaglyphi gemello Vaticano in capite ultimo dicturus sum.

Sequitur simile craterae argenteae apud Bernay urbem effossae anaglyphum[3]), in quo Ulixes Polyphemo, qui sinistra manu innisus in saxo sedet, poculum porrigit. Ulixis socius omissus est.

De sarcophagis huc pertinentibus conferas Robert l. c. n. 148, 149. Fragmenta sunt duo, quae eo tantum inter se differunt, quod uter vinarius in uno ad Ulixis pedes adstat, in altero a duobus Ulixis sociis tenetur.

---

[1]) La Blanchère et Gauckler, Catal. du mus. Alaoui 1897, p. 168 n. 192 t. 36; Wiegand et Schrader p. 453; Perdrizet p. 35.

[2]) Clarac, 249 n. 451; Visconti, Il mus. Pio Clementino V. t. A. 4; Millin, Gal. myth. 172, 632; Overbeck l. c. t. XXXI. 20; Petersen, Festschr. für Benndorf 1898, p. 131.

[3]) De Prévost, Mém. sur la coll. de vases ant. trouv. en 1830 à Berthonville pl. XI; Rochette l. c. Vign. 11. in p. 338; 351; Overbeck l. c. p. 772 n. 28.

Deinde simillimum fuisse videtur monumentum quoddam marmoreum, quod Constantinos Manasses in descriptione operum marmoreorum, quae in Mangana monasterio S. Georgii adservata erant, ita describit[1]): „*τοῦ Μανασσῆ κυροῦ Κωνσταντίνου ἔκφρασις εἰκονισμάτων ἐν μαρμάρῳ κυκλοτερεῖ κατὰ μέσον μὲν ἐχόντων τὸν Κύκλωπα τοὺς Ὀδυσσέως ἑταίρους διασπαράσσοντα καὶ ἐσθίοντα καὶ Ὀδυσσέα οἴνου ἀσκὸν προφέροντα καὶ δεξιούμενον πόσει τὸν Κύκλωπα* . . .[2])

Denique numerus gemmarum, quae Ulixem Cyclopi poculum offerentem ostendunt, maior est, quam ut singulae percenseri possint[3]); in nonnullis Polyphemum et Ulixem cum socio, qui utrem vinarium adportat, conspicimus, nonnumquam Cyclops sinistra alium socium prehendit, in aliis Polyphemum solum poculum tenentem invenimus, saepissime autem solus Ulixes repraesentatus est magnum poculum protendens aut stans aut genibus

---

[1]) Cf. L. Sternbach, Jahresh. d. arch. Inst. Wien V. 1902, Beiblatt p. 83.

[2]) Num capita Polyphemi et Ulixis in anaglypho, quod Neumagen in vico effossum nunc in museo Augustae Trevirorum urbis adservatur, similis compositionis partes fuerint, certe diiudicari non potest. Cf. Sauerum apud Roscher, Mythol. Lex. p. 2705. Longe aliud factum repraesentatum est in anaglypho Graeco, quod in museo Monacensi adservatur, a Rauschio recte suppleto; v. Furtwängler, Münch. Glyptothek VII. n. 260; Lützow, Münch. Ant. t. 42; Schreiber, Hellenist. Reliefb. 1889, t. 18. Polyphemus, leonis pelle vestitus, in saxo sedens clava quam dextra manu vibrat contundit socium Ulixis, sinistra similiter atque in signo Capitolino arreptum. Similem imaginem conspicimus in gemma quadam, quae Bonnae in possessione Mertens-Schaafhausen erat, cf. Overbeck t. XXXI. 14: Polyphemus socium Ulixis, qui gladio se defendere conatur, pedibus prehendit, ut eum ad saxa affligat; sed cum Cyclops imberbis sit, dubium videtur, num re vera haec fabula repraesentata sit.

[3]) Overbeck l. c. p. 774 sq. n. 33 sq. t. XXXI. 10 sq.; Furtwängler, Beschr. d. geschn. Steine im Antiquarium des Berl. Mus. p. 82 n. 1359 sq. t. XV. et Ant. Gemmen I. II. p. 137 n. 50 t. 27.

innixus aut dextrorsum progrediens, nonnumquam utrem vinarium secum portans. Imprimis notatu digna est gemma Hamiltoniana, quippe quae anaglyphi Borghesiani figuras satis accurate repetat; cf. Overbeck l. c. t. XXXI. 12.[1])

Omnia igitur haec diversi generis opera tam arte inter se cohaerere videmus, ut ad idem exemplum redire debeant. Quod exemplum et Ulixis et Polyphemi cum socio aut mortuo aut moriente figuras continuisse consentaneum est. Difficilius dictu est, utrum aliae quoque figurae ex exemplo illo depromptae an a singulis opificibus additae sint. Atque ministri figuram, quae in anaglypho Catinensi et in fragmento Neapolitani sarcophagi satis similis recurrit, si quis ad hoc exemplum referre velit, non refragabor. Sed ceteros socios perterritos, aufugientes, observantes singulorum opificum proprium esse verisimile est. Exemplum illud opus statuarium fuisse per se patet, quamquam auctorem eius simul picturam quandam vetustiorem imitatum esse iam supra p. 8. 10 intelleximus, sed, num recte Loeschkius[2]) hoc opus eidem artifici tribuerit, qui statuam, quae vulgo Pasquino vocatur, confecit, hic examinare supersedeo. Id certe constat tertio saeculo opus illud posterius fuisse non posse, cum iam in urna Florentina, quae saeculi tertii exeuntis vel ineuntis secundi est, imitatio eius deprehendatur. Id quoque luce clarius est artificem, quisquis fuit, in opere conficiendo hos Odysseae versus ante oculos habuisse ι. v. 344 sq. *σὺν δ' ὅ γε δὴ αὖτε δύω μάρψας ὡπλίσσατο δόρπον. καὶ τότ' ἐγὼ Κύκλωπα προσηύδων ἄγχι παραστάς, κισσύβιον μετὰ χερσὶν ἔχων μέλανος οἴνοιο.*

---

[1]) Similiter in ornamento aereo musei Britannici Ulixes solus poculum ex utre vinario vino complens est effictus; sinistra manu parmam gerit: Walters, Catal. of Bronzes etc. p. 236 n. 1444.

[2]) Arch. Anz. 1895 p. 216 sq.

C. Ulixes ex Cyclopis antro evadens.

Inter ea, quae Ulixem ex antro Cyclopis evadentem repraesentant, opera longe vetustissimum est situla Clusina sigillata ex dentis elephantini segmento fabricata.[1])

E quattuor, in quas superficies divisa est, zonis suprema navem Ulixis cum gubernatore (cf. urn. Etr. t. LXXXVII. 3) ostendit, ad quam quattuor Ulixis socii totidemque arietes accedunt, quorum sub ventribus singuli socii haerent; nam quartum quoque in lacuna sequenti repraesentatum fuisse, cum tres servati sint, propter animalis cuiusdam reliquias admodum verisimile est. Num in eadem lacuna, quae satis late patet, Polyphemus quoque expressus fuerit, pro certo affirmare non ausim. Ionicum opus hanc situlam esse et alii et invictis argumentis Iohannes Boehlau probavit.

Saepissime haec fabula est expressa in vasis figuris nigris ornatis maximam partem medio fere saeculo sexto in Attica confectis. Rarius Ulixis ex antro fuga cum omnibus figuris est repraesentata, saepissime artifices propter vasculorum formas compositionem, Cyclopis figura omissa, in breve contrahere coacti sunt:

1. Vas antiquissimum, a. 1894 Aeginae prope Veneris templum effossum.[2])

In vasculi umero tres arietes, quorum sub alvis tres Ulixis socii haerent, conspiciuntur; mirum in modum arripiunt ambabus manibus singula arietum cornua et sine funibus protensis pedibus pendunt. Polyphemus ipse effictus non est; duos tantum arietes integros, tertii priorem tantum corporis partem videmus — in lacuna enim,

---

[1]) Helbig, Ann. 1877 p. 398; Mon. X, t. 39. A. 1; Bolte l. c. p. 10 sq.; Boehlau, Aus jon. u. ital. Nekropolen, Leipz. 1898, p. 119, Abb. 64.

[2]) Pallat, Ephemeris archaeol. 1895 p. 241 [1]; Athen. Mitteil. 1897 p. 324 fig. 8; Perdrizet, Rev. arch. 1897 p. 33; Lechat, Rev. des études Grecques 1898 p. 213.

quae hoc loco est, reliquam huius animalis partem repraesentatam fuisse, cum spatium non sufficiat, dissimile veri est. Quamquam post hunc arietem antrum Cyclopis indicatum fuisse admodum probabile est, tamen pro certo id affirmare non possumus. Hoc vasculum saeculo septimo Argis fabricatum esse verisimile est.

2. Lecythus Athenis in collectione Rhousopouli in vico Picrodafni ad Hymettum detecta.[1])

3. Oenochoe musei Berolinensis in Magna Graecia effossa.[2])

4. Oenochoe musei Britannici Camiri reperta.[3])

5. Oenochoe musei Atheniensis.[4])

6. Oenochoe musei Louvre.[5])

In omnibus his vasculis Cyclops caecus humi sedet, in 5 clavam manu tenens; Ulixes solus sub ariete haerens ei appropinquat, quem in 2 socius simili habitu sequitur.

Ex eodem exemplo imagines vasorum 7—15, lecythorum maxime, derivatae esse videntur, in quibus pictores, Cyclopis figura omissa, totam rem in breve contraxerunt. Cum in oenochois antica tantum arietis pars conspiciatur, hic aries totus est expressus.

7. Lecythus Volcentis musei Britannici.[6])

---

[1]) Perdrizet l. c. p. 28 sq. fig. 1. 2; Harrison, Journ. Hell. stud. 1883 p. 259 n. 1.

[2]) Rochette l. c. p. 349 t. 65. 1; Overbeck l. c. t. XXXI. 5; Furtwängler, Berlin. Vasens. n. 1913; Bolte l. c. p. 12 A; Harrison l. c. p. 262 n. 10.

[3]) Walters, Catal. II. B. p. 245 n. 502; Harrison, Myths of Od. pl. 6 b; Journ. l. c. p. 263 n. 8; Schneider l. c. p. 60. 1.

[4]) Heydemann, Griech. Vasenb. 1870, p. 8 t. 8. 2; Collignon et Couve, Catal. des vas. peints du mus. nation. p. 243 n. 772; Bolte l. c. p. 12. B; Harrison l. c. p. 262 n. 9; Perdrizet l. c. p. 29 fig. 3.

[5]) Pottier, Catal. des vas. du Louvre I. p. 172 n. 482; Bolte l. c. p. 12 C; Harrison l. c. p. 262 n. 11.

[6]) Gazette arch. 1888 pl. 28 B p. 199; Walters, Catal. II. B. p. 301 n. 687; Overbeck l. c. p. 763 n. 12; Bolte l. c.

8. Lecythus musei Monacensis n. 755, Agrigenti reperta.[1])

9. Lecythus, ut creditur, olim Panormi in museo principis Trabbia; ubi nunc sit, ignoratur.[2]) In altero vasculi latere Ulixes sub arietis alvo funibus est revinctus, in altero socius Ulixis conspicitur.

10. Oenochoe Panticapaei in collectione Nowikow.[3])

11. Cylix Naucrati reperta in museo Britannico.[4])

12. Amphora Volcentis musei Monacensis n. 1056.[5])

13. Amphora musei Caroliruhensis Locris Epizephyriis effossa.[6])

14. Vasculum formae ignotae.[7])

15. Cylix olim a Leakeo possessa, nunc in museo Fitzwilliam Cantabrigiae.[8]) Spectatores, quales saepissime in antiquis operibus apparent, singuli utraque a parte adstant.

Longius ab illorum vasorum imaginibus recedunt:

---

p. 13. D; Harrison, Myths of Od. p. 14; Journ. p. 259 n. 6; Schneider l. c. p. 60. 1.

[1]) Overbeck l. c. p. 764 n. 15; Bolte l. c. p. 13 E; Harrison l. c. p. 259 n. 4.

[2]) Mon. I, t. 7, 3. 4; Inghirami, Pitt. di vas. etr. IV. 56 t. 335; Overbeck l. c. t. XXXI. 6; Bolte l. c. p. 13 F; Harrison l. c. p. 260 n. 3.

[3]) Dragendorff, Arch. Anz. 1897 p. 7.

[4]) Walters, Catal. II. B. p. 220 n. 407; Jahrb. 1887 p. 196.

[5]) Micali, Storia t. 99. 10; Overbeck l. c. t. XXXI. 15; Bolte l. c. p. 13 G; Harrison l. c. p. 264 n. 5.

[6]) Froehner, Die griech. Vas. u. Terrak. zu Carlsr. n. 32; Winnefeld, Carlsruher Vasensammlung n. 167; Overbeck l. c. p. 764 n. 16; Bolte l. c. p. 13 H; Harrison l. c. p. 248 sq. n. 7 fig. 1. 2.

[7]) Welcker, Alte Denkm. V p. 235; Heydemann, Ann. 1876, p. 352 l; Bolte l. c. p. 13 I; Harrison l. c. p. 258.

[8]) Heydemann l. c. p. 352 k; Bolte l. c. p. 13 K; Harrison l. c. p. 263 n. 12.

16. Cylix Volcentis, olim in collectione Feoli, nunc musei Wirceburgensis.[1]) In utroque latere Ulixem sub arietis alvo haerentem Cyclops clava armatus persequitur, dum ille secundum Odysseae verba ι 461 sq. prospere ex antro effugit.

17. Oenochoe, olim in museo Lunghini in vico Sarteano prope Clusium sito, nunc musei Florentini.[2]) Arietes sunt tres, quorum sub primo homo est revinctus, secundus virum dorso suo insidentem fert, tertius liber incedit. Harrison artificem imaginem variare in animo habuisse arbitratur, sed potius temere ille pinxisse mihi videtur.

Neque eis, qui vasa figuris rubris depingebant, ignota erat haec fugae compositio; extat enim in possessione Augustini Castellani cylix Caeretana[3]), quae fugae imaginem integram praebet: Trium arietum primus villoso pelle excellens, ut pictor Homeri verba ι 445 *λάχνῳ στεινόμενος* exprimeret, Ulixem fert barba gladioque a duobus sociis, qui sub ceteris arietibus sunt adligati, distinctum. Polyphemus, cuius superior corporis pars magnopere deleta est, sinistra manu innixus humi sedet. Saeculo quinto ineunte confecta esse videtur.

Quorum vasorum imagines quando primum inventae sint, etsi ignoramus, tamen elementa, e quibus compositae sunt, aetati multo priori deberi facile intellegitur. Polyphemus enim simili habitu iam in Aristonothi cratera humi sedet et virum arieti adligatum iam situla eburnea demonstrat. Cum Cyclops excaecatus sit, oculi eius clausi ostenduntur; modo arietem non curat, cuius sub ventre

---

[1]) Urlichs, Antikens. der Univers. Würzb. 3. 1872 n. 270; Heydemann l. c. p. 350 t. R. 2; Luckenbach l. c. p. 505; Bolte l. c. p. 14 M; Harrison l. c. p. 263 n. 13; Schneider l. c. p. 60.

[2]) Heydemann, l. c. p. 352 h; Bolte l. c. p. 13 L; Harrison l. c. p. 264 n. 2.

[3]) Luckenbach l. c. p. 511; Bolte l. c. p. 13 a; Harrison l. c. p. 250 sq. fig. 3. 4.

Ulixis socius latens ex antro effugit, modo manum protendens cum animali colloquitur cf. Od. ι 446 sq. Antrum aut deest aut rupe tantum significatur.

Ulixes fere semper barba et gladio[1]) a sociis est distinctus; in vasculo 18 ob eandem rem etiam aries, sub quo haeret, vellere villoso excellit.

Picturae linearis cum conditio universa, tum artis status eo tempore admodum imperfectus effecerunt, ut vascularii multis in rebus cum Odysseae verbis discrepent. Si enim accurate Odysseae enarrationem secuti essent, Ulixem ultimum ex antro effugientem repraesentare debuerunt, sicut legitur apud Homerum ι 444: *ὕστατος ἀρνειὸς μήλων ἔστειχε θύραζε λάχνῳ στεινόμενος καὶ ἐμοὶ πυκινὰ φρονέοντι.* Praeterea in plurimis vasis Ulixes funibus ad arietem est revinctus, cum Homerus dicat ι 431 sq. *αὐτὰρ ἐγώ γε — ἀρνειὸς γὰρ ἔην μήλων ὄχ᾽ ἄριστος ἁπάντων — τοῦ κατὰ νῶτα λαβὼν λασίην ὑπὸ γαστέρ᾽ ἐλυσθεὶς κείμην.* Cum singulos socios ad ternos arietes viminibus inter se copulatos adligatos[2]) effingere difficilius esset, singulos arietes singulos socios Ulixis portantes artifices exprimere solebant.[3])

Figura hominis sub arietis alvo haerentis in aliis quoque antiquioris artis operibus occurrit; quae num ad Odysseam spectarent, Loeschkius, Arch. Zeit. 1881 p. 52 dubitavit. Certe ad disputationem nostram, cum novi nihil praebeant, non pertinent.

---

[1]) In vasis 3. 7. 9. 13. 18 Ulixes ita se circumvertit, ut altera manu arietis vellus teneat, altera gladium tollat, nimirum ad Cyclopem, si fugientis dolum perspexerit, propulsandum, id quod artifex non male suo ex ingenio finxit.

[2]) Cf. Od. ι 427 sq.: *τοὺς ἀκέων συνέεργον ἐυστρεφέεσσι λύγοισιν σύντρεις αἰνύμενος· ὁ μὲν ἐν μέσῳ ἄνδρα φέρεσκεν, τὼ δ᾽ ἑτέρω ἑκάτερθεν ἴτην σώοντες ἑταίρους.*

[3]) In vasculis 2. 7. 8. 9. 11. 12. 13. 16. 17 Ithacenses funibus ad arietes sunt revincti; de vasis 10. 14. 15 accuratiora non sunt nota.

Eo maioris momenti duo signa marmorea serioris artis sunt, quae Ulixem pileatum sub ariete villoso haerentem (cf. Od. ι 445) repraesentant; Romae sunt in villa Pamfiliorum[1]) unum, alterum in villa Alexandri Albani.[2]) Nam has statuas ad eundem cyclum redire, cui supra et poculi traditionem et Cyclopis punitionem tribuimus, admodum probabile est; nec fortasse defuerant Polyphemi[3]) aliorumque sociorum sub arietibus latentium figurae. Itaque aetate Hellenistica Cyclopia per has tres scenas statuario opere expressa fuisse videtur.

De lucernis, quae eandem scenam praebent, lectores ad Boltii catalogum (p. 16a—e) remitto.

Non huc pertinet paries Pompeianus, quippe qui Aeneae, non Ulixis ad Polyphemi insulam adventum repraesentet (cf. Verg. Aen. III v. 570 sq.).[4])

Denique sui generis sunt tabula sigillata e materia, quae vocatur jet, fabricata musei Britannici[5]), quae Ulixem e navi Polyphemum deridentem, et urna Etrusca, quae Polyphemum saxum in Ulixis navem libraturum ostendit.[6])

---

[1]) Clarac, Mus. de sculpt. t. 833. A n. 2087 B; Matz-Duhn, Ant. Bildw. I. n. 966 a; Overbeck l. c. p. 767 n. 20; Bolte l. c. p. 15.

[2]) Winckelmann l. c. p. 210 n. 155; Clarac l. c. t. 833 c n. 2027 c; Overbeck l. c. t. XXXI. 22; Bolte l. c. p. 15.

[3]) Velut in opere tesselato a. 1873 prope viam Cassiam detecto; de quo v. Hectorem Ruggierum, Cat. del. mus. Kirchneriano n. 23 et Boltium l. c. p. 16.

[4]) Cf. Sogliano, Giorn. d. scavi di Pomp. N. S. III. t. 5 p. 148; Le pitture murali camp. 1879 p. 123 sq. n. 603; Mau, Ann. 1879 p. 79 sq. t. H.

[5]) Cf. Arch. Anz. 1888 p. 244.

[6]) Cf. Brunn, Urn. etr. t. LXXXVII. 4. Eodem fortasse pertinet Polyphemi caput ex argilla factum, quod Ronchand apud Daremberg-Saglio, Dictionn. des ant. 1887 I. 2. p. 1695 ita describit: „une masque . . . . ; il est comme encadré par les bras et les mains, qui tiennent une pierre audessus de la tête."

Ad extremum caput Polyphemi etiam in Odysseae statuae ab Iasone confectae lorica una cum Scylla et Sirenis (cf. infra p. 30) expressum est.[1])

2. De Sirenum fabula.

Ulixem Sirenes praetervehentem primum in aryballo Corinthio saeculi sexti exeuntis invenimus, qui in Boeotia effossus nunc in museo Bostoniensi adservatur; publici iuris factus est ab Henrico Bulle, Strena Helbigiana p. 31 sq. fig.[2]) Navis[3]) Ulixis, cuius a puppi vexillum pendet, velis contractis a quinque remigibus cassidibus instructis ad Sirenum insulam propellitur. Ulixes et ipse casside instructus ad malum funibus, qui toti corpori sunt involuti (Od. μ 51, 162, 179: ἐκ δ' αὐτοῦ πείρατ' ἀνήφθω), adligatus est. Duae aves, sive aquilae sive aves quaedam aquaticae, in navem delabuntur. In rupe excelsa duae Sirenes conspiciuntur, capite femineo, corpore gallinaceo, pinnis erectis, quae oribus apertis canere videntur (Hom. μ 192: ἱεῖσαι ὄπα κάλλιμον). A sinistra navis aedificium conspicimus, post quod mulier humi sedet; aedificium Circes domum esse Bullius recte intellexit. Quo magis mirandum est eundem mulierem illam non pro Circa, sed pro Tellure dea habuisse mythologorum noviciorum ariolationibus deceptum. Nam cum artifex Corinthius, unde profectus Ulixes ad Sirenum insulam venisset, indicare vellet,

---

[1]) Cf. Treu, Athen. Mitt. 1889 p. 160 sq., fig. V; Polites, Ephemeris arch. 1892 p. 241 sq.

[2]) Delineatio Reicholdiana ab Henrico Bulle edita perperam divisa est; post Sirenes incisio facienda est, ita ut aedificium cum muliere sedente a sinistra navis conspiciatur; ceterum cf. Robert, Gött. Gel. Anz. 1900 p. 721; Weicker, Der Seelenvogel in der alten Literatur und Kunst p. 44 fig. 17; Harrison, Prolegom. to the study of Greek Relig. p. 200 fig. 37.

[3]) Navis rostro acuto, quod apri caput imitatur, munita est.

Circen decessum eius dolentem addere non praetermisit. Haec igitur imago in eo quoque cum Odyssea consentit, quod duae tantum Sirenes pictae sunt, cum et in ceteris imaginibus plerumque et apud scriptores posteriores semper Sirenes inveniantur numero tres. Sed differt Sirenum figura. Nam illic Sirenes non aves capite humano praeditae, sed formosissimae puellae sunt, quae in prato floreo homines cantu effascinant:

Od. *μ* v. 39 sq.:

Σειρῆνας μὲν πρῶτον ἀφίξεαι, αἵ ῥά τε πάντας
ἀνθρώπους θέλγουσιν, ὅ τέ σφεας εἰσαφίκηται.
ὅς τις ἀιδρείῃ πελάσῃ καὶ φθόγγον ἀκούσῃ
Σειρήνων, τῷ δ᾽ οὔ τι γυνὴ καὶ νήπια τέκνα
οἴκαδε νοστήσαντι παρίσταται οὐδὲ γάνυνται,
ἀλλά τε Σειρῆνες λιγυρῇ θέλγουσιν ἀοιδῇ
ἥμεναι ἐν λειμῶνι, πολὺς δ᾽ ἀμφ᾽ ὀστεόφιν θὶς
ἀνδρῶν πυθομένων, περὶ δὲ ῥινοὶ μινύθουσιν.

Quod cum rectissime monuisset Boltius, recentiores interpretes prorsus aliam viam ingredi maluerunt. Nam cum posteriore aetate Sirenes illas semipuellas, quippe quae ad sepulcra adornanda non raro adhiberentur, pro numinibus mortiferis habitas esse intellexissent, eandem sententiam Homero obtrudere, grammaticos Alexandrinos[1]), egregii iudicii viros, stupiditatis accusare non dubitaverunt.[2]) Sunt igitur, si illos audimus, Homeri Sirenes aves umbraticae, quae prope Orci introitum habitantes homines, quos dulci cantu adlexerunt, turpissime suffocant atque comedunt. At si comedunt, quomodo miserorum illorum hominum non solum ossa, sed etiam cutes arefactae (*ῥινοί*) restare possunt? Immo prorsus aliter rem

---

[1]) Aristonicus ex Aristarcho, Schol. Q. V. Od. *μ* 39: *Ὅμηρος δὲ οὔτε γένος αὐτῶν παρίστησιν οὔτε πτερωτὰς αὐτάς φησιν εἶναι.* Schol. H. Od. *μ* 47: *οὐκ ἄρα ἐπτέρωνται, ἐπεὶ καὶ προσεπέτοντο τοῖς παραπλέουσιν*; similiter Eustath. p. 1709, 46.

[2]) Cf. Weicker, l. c. p. 37 [1].

sese habere ipsa Homeri verba docent; nempe homines illos a Sirenibus adlectos, dum suavem dulcemque cantum earum avidissimis auribus hauriunt, cibi potionisque oblitos paulatim fame perire dilucide intellegitur. Itaque haec fabula Lotophagorum fabulae est gemella; nam ut illic homines, qui Lotum gustaverunt, patriae obliti semper in Lotophagorum terra manere cupiunt (Od. *ι* 94 sq.), ita, qui Sirenes audiverunt, in earum insula. Sane forma Sirenum ab Homero non describitur, vel de sexu dubitari potest; sed alatas Sirenes Homeri esse non posse iam Aristarchus inde conclusit, quod non ad praetervehentes advolant, sed in ora sedentes eos canendo invocant. Omni igitur ex parte Sirenes Homericae ab illis Sirenibus distant, quales in antiquioribus artis operibus conspiciuntur. Quae discrepantia quomodo explicanda est? Utrum duae Sirenum formae Homeri aetate extiterunt, semifera altera, altera humana, quarum illam poeta sibi elegit? An suo ingenio Homerus semipuellas illas in integras virgines mutavit? Neutrum verum est. Archaeologorum mythologorumque nostrae aetatis error inde natus est, quod ei avibus illis capite femineo praeditis, sive animae imago sunt ex Aegypto desumpta sive merus ingenii lusus, quales plures in arte Minoa occurrere videntur, ab initio Sirenum nomen fuisse putant. Quod non magis verum est quam virginem illam leoninam ab initio vel tempore Minoo vel Homeri aetate Sphingem vocatam esse. Immo ut Phicii montis numen illud mortiferum longe demum post Homeri aetatem ad virginis leoninae exemplum fingi coeptum est, ita ille, quisquis fuit, qui primus Sirenes Homericas imagine exprimere cupiebat, semipuellas illas usurpavit. Quod ut faceret, fortasse eo inductus est, quod ut Sirenes ita virgines illae semiferae canentes repraesentari solebant, fortasse etiam eo, quod iam tum temporis hae animarum imagines pro daemonibus letiferis habebantur, Sirenes autem et ipsae mortalibus letum ferunt, quamvis dulcissimum. Adde, quod etiam alias illas mor-

tuorum imagines, quae humanae totae sed alatae pingi solent[1]), tibiis vel nervis canentes non raro videmus.[2]) Itaque illo demum tempore aves illae capite humano praeditae, quarum antiquum nomen ignoramus, nisi forte omnino nomine carebant, Sirenum nomen ceperunt. Quas mox aut fortasse iam antea etiam ad sepulcra adornanda adhibitas esse nemo est qui nesciat.

Aryballus igitur ille Corinthius inter cetera eiusdem fabulae monumenta prorsus singularem locum tenet; nam antiquissimus est, duas tantum Sirenes ostendit pro tribus, Circes et Sirenum fabulas coniunctas praebet, id quod nusquam alibi occurrit.

Sequitur lecythus musei Atheniensis, a. 1888 Eretriae effossa, a M. Sellers, Journ. Hell. stud. 1892/3 p. 2 sq. pl. 1 edita.[3]) Media imagine Ulixem barbatum et petasatum, curta tunica vestitum, armis carentem, non ut in aryballo Corinthio toto corpore, sed ambabus tantum manibus ad navis malum revinctum, conspicimus; sed nec navem ipsam artifex repraesentavit nec remiges, omnia sub imaginis margine latere fingens. Itaque malus tantum est expressus, quem qui cum Sellersia et Collignone pro columna Ionica habent, falluntur eo decepti, quod in capite eius tignum transversarium est adligatum duobus foraminibus rotundis, per quae funes ducantur, praeditum, ut in amphora Attica, de qua mox dicturus sum. Ad mare significandum pictor fluctus quosdam adumbravit, duos delphinos addidit. Utraque ex parte in scopulo alto, ut fere semper, singulae Sirenes stant, duae ut in aryballo Corinthio itemque pinnis erectis, sed eo differunt, quod bracchiis praeditae nervis et tibiis canunt, non voce.

[1]) Cf. Benndorf, Griech. u. Sicil. Vasenb. p. 33 sq.; Kern, Aus der Anomia, 1890, p. 89 sq.

[2]) Nervis canunt, ut defunctum cantu delectent.

[3]) Cf. Collignon et Couve, Vases peints du mus. Nation. d'Athènes p. 303 n. 958; Weicker l. c. p. 48, 163 n. 9.

Vix monendum est pictorem hac in re sepulcrorum Atticorum scalptores secutum esse, unde haec cum Homero discrepantia nata est.

Neque tamen antiquior illa Sirenum figura, quam in aryballo Corinthio invenimus, ex artis operibus tam cito evanuit, ne ex iis quidem, quae ad Odysseam spectant. Nam vel in amphora Attica rubris figuris ornata medio fere quinto saeculo confecta, quae tertio loco nominanda est[1]), Sirenes bracchiis carent et voce canunt, non tibiis aut chordis. Primum autem in hoc vasculo evenit, ut Sirenes conspiciantur numero tres, quem numerum per totum reliquum tempus prorsus constare videmus, id quod procul dubio inde explicandum est, quod, ut cum alii docuerunt, tum Usenerus (Rhein. Mus. 1903, p. 161. 321. 356 sq.) et Leo (Analecta Plautina, de figuris sermonis III, Ind. lect. Gott. 1906) triada multitudinis cuiusvis instar esse antiqui voluerunt. Multiplicatum igitur est Sirenum par, velut ut ex uno Tritone Tritonum chorus, ex uno Amore facta est Amorum caterva. Sed aliud quoque invenimus novi. Nam ex eo scopulo, quem navis Ulixis iam praetervecta est, una e Sirenibus alis erectis, oculis clausis se praecipitat, quam altera Siren, quae in eodem scopulo pinnis contractis instat, quasi obstupefacta oculis prosequitur. Tertia vero, quae in scopulo adverso conspicitur, voce etiam canere videtur, id quod etiam nomen ei adpictum *Ἱμερόπα*[2]) significat, cum ceterae duae nomine careant; sed et ipsa iam pinnas explicat,

[1]) Volceis reperta in museo Britannico adservatur: Mon. I, 8; E. de Laglandière, Ann. 1829 p. 284 sq.; Walters Catal. III E n. 440 p. 268 sq.; Overbeck l. c. t. XXXII 8; Luckenbach l. c. p. 514; Bolte l. c. p. 26; Harrison, Myths of the Od. pl. 37; Weicker l. c. p. 165 sq. fig. 85; Kretschmer, Griech. Vaseninschr. p. 78.

[2]) Cf. nomina Sirenum a mythographis tradita: *Θελξιόπη*, *Ἀγλαοφώνη*, *Μολπή*; vide Weicker p. 40[2. 3.]

tamquam sororem in gurgitem secutura, si Ulixes cantus dulcedini restiterit. Tenemus igitur hic primum eam mythi formam, quae in litteris non ante Alexandrinorum occurrit aetatem; narrat enim Lycophron (v. 714 sq.) Sirenes, cum Ulixes immotus iter perrexisset, in mare se proiecisse.[1]) Quod vero Weickerus hanc fabulae formam Homero antiquiorem et ab illo sive commutatam sive neglectam esse putat, nec demonstrari potest nec verisimile est. Ad quam opinionem probandam ne vasculi fragmentum quidem Naucratis inter rudera repertum[2]) quicquam valeret, etiamsi recte ab illo ad hunc mythum relatum esset, id quod praefracte nego. Nam luce clarius est Sirenum fabulam hoc modo ad Sphingis fabulae exemplum commutatam esse, quam, cum Oedipus aenigma eius solvisset, e rupe sua se praecipitasse narrant.[3])

Cetera, quibus amphora Attica ab antiquioribus illis duobus vasis differt, ei cum reliquis eiusdem aetatis operibus fere communia sunt. Figurae humanae nudae sunt, animi sensus magis exprimuntur. Ulixes elato capite, ore aperto ad Sirenes adspicit; primus e remigibus caput ad tres suos socios retorquet. Additus est etiam gubernator, qui manu porrecta remiges dirigit.

Quartum eiusdem argumenti vasculum nuper denique innotuit. Extat in museo Berolinensi, ubi mihi Robertus Zahn, vir eximiae in archaeologia peritiae, examinandi eius veniam dedit. Repertum est in Campania, confectum esse videtur saeculo quarto exeunte; cratera est eius formae, quae a campanis nostris nomen duxit. Ulixes barbatus, pileatus, brevi veste manicata indutus ambabus manibus ad malum ita est revinctus, ut facies eius illi adversa esse debeat, quo modo servos excruciandos ad palum adligari solitos esse Robertus Zahn benigne me monuit. Simul in digitos, qui in scabello quodam positi esse videntur, erectus alteram Sirenem intuetur. Navis, quae acatii figuram habet, gubernator, aetate iam provectus, barba rasa aures pallio munivit, ne Sirenum voces audiret. Remiges sunt duo, quorum alter totum corpus ad Sirenem eam, quae supra puppim conspicitur, admirandam retorquet. Porro alii duo socii, imberbis unus, alter barbatus, otiosi hic ad aplustre, ille ad malum se reclinant. Sirenes solito modo dispositae ut apud Homerum et in vasis antiquioribus numero sunt duae; forma fere eadem est atque in amphora Attica, nisi quod tota superior pars inde a coxis humana est, velut apud Tritonum eiusdem aetatis figuras, et alae quoque e coxis nascuntur. Una lyram, altera tympanum tenet. Bracchia, collum, crines munde ornata sunt; corpus unius nudum, alterius veste tectum est.

Haec igitur Sirenum forma per totam Hellenisticam, quam vocant, aetatem vigebat atque a Romanis quoque artificibus recepta est, nisi quod pedes longiores longioresque paullatim fiunt[1]). Sic in pateris Calenis et Ar-

[1]) Haec fabulae forma praeterea semel tamen efficta est in pictura Pompeiana a Claracio descripta (Mus. 5, p. 73; cf. Bolte l. c. p. 32; Weicker l. c. p. 183), hodie deperdita.

[2]) Clazomeniae arti recte tribuitur; ad Sirenum fabulam hanc imaginem spectare iam Henricus Bulle negavit; penna enim avis potius, quam Sirenis in mare se praecipitantis est, praesertim cum plumae lineam directam nec deorsum versam forment; cf. Walters, Catal. II. B n. 103 [19]; Bulle l. c. p. 32; Weicker, Dissertat. De Sirenibus quaest. selectae p. 36 [1]; Der Seelenvogel p. 44 fig. 18.

[3]) Sophocles O. R. 397; Euripides, Phoen. 1507 c. Schol.; Aristophanes Byzantius in arg. Eur. Phoen.; Apollodorus 3, 5, 8.

[1]) Cf. Weicker l. c. p. 167 sq. Monendum est ea artis monumenta, in quibus Sirenes in scopulis stantes, sed sine Ulixe depictae sunt, velut Nicosthenis cylicem (Journ. Hell. St. I. 1885 t. 49; Wiener Vorlegebl. 1890, t. 5, 6), consulto a me praetermissa esse; de quibus vide Weicker p. 162 sq., cuius catalogo addenda sunt Walters, Catal. II. B. 510; Furtwängler, Berliner Vasens. n. 3031.

retinis, in gemmis[1]), in anaglyphis fictilibus[2]), in sarcophagis Romanis[3]), in lucernis[4]), in operibus tesselatis[5]) conspiciuntur neque aliter in Iasonis statua Odysseae. Semper omnes tres coniunctae in eodem scopulo stant, dum Ulixes ad navis malum ambabus manibus revinctus aut infra aut iuxta praetervehitur. Sirenum duae semper instrumentis musicis canunt, tertia nonnumquam voce[6]). Attamen paterae[7]) id proprium habent, quod rem in duas scenas dividunt, quarum in una Ulixes a socio quodam ad malum revincitur, in altera revinctus Sirenum cantum auscultat; Sirenes autem singulae inter ambas naves et ab utraque earum parte dispositae sunt[8]). Neque tamen vel Hellenistica aetas vetustiorem illam Sirenum figuram prorsus ignorat. Nam praeterquam in gemmis recurrit[9]), vel in pariete picto Pompeiano[10]), qui nunc in museo Britannico adservatur, Sirenes eadem forma delineatae sunt. Iuxta ossa humana iacent, ut in Odysseae *μ* 45 sq.: *πολὺς δ' ἀμφ' ὀστεόφιν θὶς ἀνδρῶν πυθομένων, περὶ δὲ ῥινοὶ μινύθουσιν.*

---

1) Furtwängler, Berl. Geschnitt. Steine n. 6880, t. 50; Ant. Gemmen t. 43, 23; 50, 16; Bolte l. c. p. 36 a—d.

2) Bolte l. c. p. 33 sq.[68] *A—H*: Weicker l. c. p. 204[1].

3) C. Robert, Ant. Sark. II n. 140—146; cf. aram Carlsruhe in oppido adservatam: Froehner, Die grossherzogl. Samml. vaterländ. Altertümer zu Carlsr. I. n. 33; Weicker, l. c. p. 205.

4) Bolte l. c. p. 32 sq. *α—κ*; Weicker l. c. p. 205.

5) Bolte l. c. p. 35, A, B; Weicker l. c. p. 205[2].

6) Cf. Servium ad Aen. V. 864 de Sirenibus: „harum una voce, altera tibiis, alia lyra canebat".

7) Bolte l. c. p. 32, a—f; Weicker l. c. p. 204; Sellers, Journ. Hell. st. 1892/3, p. 6.

8) Simili modo Erinyes in sarcophagis ad Orestae fabulam spectantibus et Musae in sarcophagis, quae earum cum Sirenibus certamen illustrant, in ter singulas scenas distributae sunt.

9) Weicker l. c. p. 204.

10) Helbig, Campan. Wandgemälde n. 1330. cf. p. 462; Bolte l. c. p. 32; Weicker l. c. p. 183.

Sed cum in ceteris iunioris artis operibus ille Sirenum typus quasi regnet, longe aliter in urnis Etruscis conspiciuntur Sirenes, non ut mixtae figurae daemones, sed ut pulcherrimae mulieres vestitu et ornatu insignes. Luce clarius est grammaticorum Alexandrinorum auctoritatem hanc immutationem effecisse; quo magis mirum est in ceteris eiusdem aetatis operibus nullum huius rei vestigium inveniri. In urnis igitur[1]) Sirenes, numero ut consentaneum est tres, in saxo non stant, sed sedent syringe, lyra, tibiis canentes[2]); ordo non constat. Plerumque sinistram urnae partem occupant; semel tantum (Brunn t. LXXXXIV. 7) mediam, dum Ulixes post terga earum praetervehitur. Ulixes ipse chlamydatus et pileatus ambabus semper manibus ad malum revinctus est. Nonnumquam (Brunn n. 2a; t. LXXXXII. 3. 4; n. 5 a; t. LXXXXIV. 7) e sociis unus vel duo vincula fortius adstringunt, ut apud Homerum *μ* 164 sq. Eurylochus et Perimedes. In compluribus exemplis sociorum aures pannis redimitae sunt ut gubernatoris in vase Berolinensi.

Omnium igitur harum imaginum typus, qui dicitur, multo minus commutatur, quam Cyclopiae imaginum. Immo inde ab antiquissimis temporibus usque ad recentissima fere idem manet, id quod in natura mythi positum est. Formae tantum Sirenum commutantur et animi affectus magis exprimuntur.

3. De Circe.

Inter eas, quae Ulixem in insula Circes repraesentant, imagines antiquissima est vasculi figuris nigris ornati fragmentum, Daphnis in Aegypto effossum, nunc musei

---

1) Brunn t. 90—94; Bolte l. c. p. 31 A—S; accedit urna Oxoniensis: Evans, Report of the keeper of the Ashm. mus. for the year 1899; Arch. Anz. 1900 p. 114.

2) Eadem instrumenta tres Gratiae, quas Apollo Delius sinistra tenebat, gerebant teste Plutarcho personato de mus. 14, 1136 A.

Britannici; edidit Dümmler, Jahrb. des arch. Inst. 1895 p. 41, qui id sexto saeculo ineunti tribuit; recte interpretatus est Petersen, Jahrb. 1897 p. 55[1].) Ulixes ad dextram versus in Circen invadit, quam sedentem expressam fuisse verisimile est, sed nihil reliquum est, quam manus sinistra, qua poculum tenet, et arundo, qua potum miscebat. Post Ulixem sequitur socius cum cauda suilla; femur quoque suillum et pro manu sinistra ungula suilla est; itaque etiam caput, quod nunc deest, suillum fuisse consentaneum est. Praeterea una certe figura, sine dubio alter socius, aequitatis causa post Circen adesse debuit.

Plures etiam socii in vasis vel eiusdem vel paullo posterioris aetatis inveniuntur nec suum tantum capitibus praediti, sed etiam canum, leonum, pantherarum, equorum, asinorum, arietum, boum, olorum, gallorum. Neque solum, dum mutantur, ita effinguntur, sed etiam, postquam mutati sunt, cum ceteroquin artifices Graeci humanae formae in beluinam transitum ita exprimere soleant, ut varias mutationis figuras iuxta ponant, ut in Thetidis aut senis marini fabula reddenda. Sed ut posteriore aetate Pamphaeus (Gerhard A. V. II. p. 106 sq.; Wiener Vorlegeblatt D, pl. VI. 2; Walters, Catal. III. B. 437) Tritonis forma ad Acheloum depingendum usus est, ita ii, qui homines a Circe mutatos primi expresserunt, hanc ad rem monstris illis biformibus usi sunt, quae iam arti Minoiae maxime in deliciis fuisse constat.[2]) Itaque ille, qui bovis caput habet, ad Minotauri, qui asini, ad daemonum in tabula Mycenaea[3]) expressorum exemplum effictus est, nisi quod illi praeterea insectorum alas habent. Figurae quoque, quae in Despoenae Lyco-

[1]) Cf. Walters. Catal. II. B, p. 95 n. 125 [13]; Tanis part II, Nebesheh and Defenneh by Flinders Petrie fourth memoir of the Egypt exploration, London 1888.

[2]) Confer, quae supra p. 25 sq. de Sirenum figura diximus.

[3]) Tsountas, Ephemeris arch. 1887 p. 160 sq. t. 10. 1; cf. etiam Journ. Hell. Stud. 1902 p. 79 sq. n. 17 sq.

surensis pallio[1]) expressae sunt, cum Ulixis sociis mutatis similitudinem quandam habent, sed illae a capite usque ad pedes bestiae sunt humanis vestimentis opertae, neque diiudicari potest, utrum de hominibus mutatis an de bestiis hominum mores imitantibus cogitandum sit. Quod vero artifices socios Ulixis non modo secundum Odysseae verba κ 238 sq. capitibus suillis, sed etiam aliarum beluarum capitibus instruxerunt, id non ad arbitrium suum, sed versuum κ 212 sq. memores fecerunt, quibus narratur lupos et leones canum instar aedes Circes custodivisse. Itaque Dio Chrysostomos or. VIII. 21 p. 100, XXXIII. 58 p. 313 (I. de Arnim, 1893) Circen Ulixis socios in sues, lupos, alias bestias convertisse tradit; Apollodorus in bibl. Epit. VII. 15 p. 178,1 (R. Wagner, Mythogr. Graeci I, 231) in lupos, sues, asinos, leones, aut alio poeta usus aut ad imagines, quas mox cognoscemus, spectans.

Testam Daphnensem sequitur lecythus musei Berolinensis ab Eduardo Gerhard in Sicilia comparata[2]). Media imagine Circe in sella sedet, ad dextram, non ut in fragmento Daphnensi ad sinistram, versa; sinistra manu poculum, quod arundine permiscet, porrigit Ulixi, qui a dextra gladium destrictum dextra tenens, sinistram tollens adpropinquat. Ut imaginis argumentum manifestum fiat, utrimque bini Ulixis socii in bestias conversi manus ad Circen et Ulixem protendunt, qui caudas caputque apri, asini, oloris habent; quarti caput deletum est, sed bovinum fuisse et caudae forma et corporis robur indicare videntur[3]).

[1]) Cf. Overbeck, Griech. Plastik II [4], p. 488; Cavvadias, Fouilles de Lycosoura p. 12 [2]; Collignon, Sculpt. Grecque II. p. 628.

[2]) Furtwängler, Berliner Vasensamml. n. 1960; Overbeck l. c. p. 779 sq. n. 49=51; Kōrte, Arch. Zeit. 1876 p. 189 t. 15; Luckenbach l. c. p. 506; Bolte l. c. p. 18 A.

[3]) Huius vasis ad exemplum lecythum figuris nigris ornatam, quam Odofredus Mueller a. 1839, cum per Siciliam iter faceret, vidit, ab homine Siculo esse confectam Stark, Arch. Zeit. 1876 p. 191 cognovit; nunc in vico Neuburg prope Heidelbergam apud baronem de Bernus adservatur.

Similem imaginem in lecytho a. 1888 Eretriae effossa, nunc musei Atheniensis[1]) conspicimus. Saeculo sexto exeunte aut quinto ineunte confecta est. Ulixi in saxo sedenti et manu duo iacula tenenti Circe, quae nunc ipsum ex sede sua surrexisse videtur, poculum sinistra porrigit, dum potum arundine, quam dextra tenet, miscet. Sinistrorsum socius quidam Ulixis apri cauda capiteque praeditus, duo iacula et ipse manu tenens, magno terrore commotus aufugit; quem artifex egregie addidit, ut, quantopere scena repraesentata socii animum commoveret, exprimeret.

In duobus, quae nunc sequuntur, vasis non Circe et Ulixes, sed Circe et socius quidam Ulixis, cui illa poculum porrigit, medium tenent. Ulixes ipse gladio destricto a tergo in Circen invadit. Sunt autem duae cylices nigris figuris ornatae ex officina Attica, quae nunc in museo Bostoniensi adservantur[2]). Accuratiorem earum notitiam I. Randolphi Coolidge, qui illi museo praeest, benignitati debeo. In utraque Circe, quae, quantum ex imagine photographica cognosci potest, tunica brevissima vestita, cetera nuda esse videtur, dextrorsum progrediens socio cuidam Ulixis cylicem, quam arundine permiscet, offert; inter eam sociumque sedet canis, qui in una cylice ad Circen, in altera ad socium illum adspicit. Deinde in una ex cylicibus contra Circen tres mutati socii ex ordine stant, omnes nudi, primus apri, alter ovis, tertius canis capite praediti. Sed cum duo posteriores pro bracchiis pedes ovillos aut caninos habeant, primo bracchia humana manserunt, scilicet ut poculum capere posset. Itaque quartus, qui post Circes terga adstat, in aprum et ipse mutatus,

[1]) Deltion archaeol. 1889 p. 139 n. 12; Sellers, Journ. Hell. St. 1892/3 p. 7 t. 2; Collignon et Couve, Catal. des vases du mus. Nation. n. 956.

[2]) Trustees of the Mus. of Fine Arts, Twenty fourth annual report for the year ending Dec. 31. 1899, Boston 1900, p. 59 n. 16; p. 61 n. 17. De una ex iis, quae in altero latere Ulixem et Polyphemum exhibet, iam supra verba fecimus.

rursus non caput solum suillum habet, sed etiam pedes suillos pro bracchiis. Contra qui a sinistra parte extremus capite leonino praeditus perterritus aufugit, humanas manus habet, ut horrorem suum gestu exprimere possit. Huic a dextra parte respondet socius nondum mutatus, qui, barbatus et chlamydatus, aufugit, caput ad Circen retorquens. Quem si Eurylochum secundum Homeri verba κ 244 sq. recte nominavit Robinson, hic quoque pictor temporis unitatem parum curavisse videtur duas Odysseae scenas v. 230—245 et v. 310—347 in unam contrahens. Monendum tamen est unitatem servari, dummodo Ulixes abesset. Sed adest ille, eodem fere habitu atque Eurylochus, gladio destricto Circae a tergo minitans; stat enim tertius ab illa inter socium, qui caput leoninum, et illum, qui suillum habet.

Altera cylix eo differt, quod quattuor contra Circen socii stant, omnes iam in bestias conversi; primi socii caput deperditum est, ceteri canis, pantherae, capri capita habent; sed manus omnibus sunt humana. Idem de tribus illis sociis valet, qui post terga Circes adstant equi, galli, leonis capitibus praediti. Ab eadem parte Ulixes gladio destricto accurrit, sinistro bracchio chlamyde tecto.

His igitur in imaginibus temporis unitas ea in re neglegitur, quod simul Ulixes Circae minitans et Circe socios eius in bestias convertens repraesentantur.

Contra in oenochoa quadam Camiri effossa, quae nunc in museo Britannico adservatur, nigris figuris et ipsa ornata[1]) Circen solam, dum socios Ulixis mutat, conspicimus. Dea ad dextram versa est; utrimque singuli Ulixis socii in sues conversi adpropinquant, quorum corpora lateralibus picturae marginibus secantur.

Pariter in vasis, quae rubris figuris ornata sunt, temporis unitas observari solet. Velut in duabus amphoris Nolanis Circe sola cum uno tamen Ulixis socio invenitur.

[1]) Walters, Catal. II B p. 245 n. 503.

In una earum, quae hodie in museo Dresdensi adservatur [1]), socius capite, pedibus, cauda suillis praeditus dextrorsum aufugit, dum Circe poculum magicum arundine permiscens ex adverso ei stat. Puellam, quae in vasis parte aversa baculo innixa stat, fortasse recte O. Iahn pro Circes ancilla habuit, quamquam eiusmodi figuras in aversis amphorarum partibus solemnes esse neque semper cum parte antica cohaerere nemo est qui nesciat. In altera amphora, quae nunc in museo Berolinensi est [2]), Circe ad sinistram versa in sella sedet poculum sinistra, virgam magicam dextra tenens. Ab illa socius Ulixis sinistrorsum aufugit, ut verbis eius Od. κ 320: ἔρχεο νῦν συφεόνδε oboediens. A tergo conspicitur, parvam caudam suillam gerit, caput suum suillum manu dextra obstupefactus contrectat.

Longius a schemate consueto tria vasa rubris figuris et ipsa depicta recedunt, quae praeter consuetudinem proprium artificum ingenium redolent. Prima est cylix Attica saeculi sexti exeuntis vel quinti ineuntis, cuius fragmenta inter rudera monumentorum a Persis dirutorum inventa sunt. Delineationem benigne mecum communicavit Botho Graef [3]). Ex fragmentis, quorum unum, cuius delineationem Graefius non adiunxit, teste Kretschmero inscriptionem Ὀλυτες exhibet, haec cognosci possunt: In parte interiore Circe sinistra manu et arundinem et scyphum tenens, dextram in Ulixem, qui petasatus contra eam stabat, protendens repraesentata erat. In partis exterioris latere uno Ulixes in sella sedet; ante eum aper pantheraque una dextrorsum progrediuntur, socii nimirum a maga

---

1) Iahn, Arch. Zeit. 1865, 18 t. 94. 1, 2; Hettner, Bildw. der Antikensamml. zu Dresden p. 13 II. 29; Bolte l. c. p. 20 D.

2) Körte, Arch. Zeit. 1876 p. 189 t. 14; Furtwängler, Berliner Vasensamml. II. n. 2342; Overbeck l. c. p. 779 n. 50; Schoell, Arch. Zeit. 1865 p. 48 n. 6; Bolte l. c. p. 19 sq. C.

3) Cf. Kretzschmer, Die Griech. Vaseninschr. p. 234 ad 131 p. 146.

mutati. Artifex igitur solitum sociorum in bestias conversorum typum, quem alii omnes artifices, quorum opera adhuc contemplati sumus, servaverunt, secutus non est, sed socios plane in bestias commutatos effinxit. Pone hos duos socios hominem effictum fuisse ex pedibus calceatis, qui soli sunt relicti, concludi potest. Utrum Mercurius, qui in Odyssea Ulixi herbam tradit, an Eurylochus, quem in altera cylice Bostoniensi invenimus, nominandus sit, in medio relinquo. Ad dextram Circe ipsa abscedere videtur.

Alterius lateris fragmenta aut nulla aut pauciora, quam quae quid proficiant, inventa sunt.

Magis ad antiquiores picturas se accomodat cratera Graeca, quae a. 1875 apud Certosam effossa in museo Civico Bononiae adservatur [1]). Saeculo quinto ab artifice Attico confecta est.

Superficies in duas zonas divisa est, quarum superior utroque latere singulas exhibet scenas facete adumbratas. In una Circe ad dextram versa virgam magicam, quam dextra tenet, contra Ulixis socium tendit, qui magno maerore adfectus pedibus inter se implicatis capite demisso in saxo sedet. Hoc ipso enim temporis momento Circe eum in bestiam convertit, ita ut iam caput et caudam suis gerat, cum ceterae corporis partes etiam humanae sint. Post Circen tres alios socios eodem modo in bestias, in equum hunc, illos in sues, conversos conspicimus; quorum primus dextra manu demissa quadrupedanter procedere conatur, simul idem manu sinistra Circae minitans; alter et ipse proclinatus velut bestiarum modo incessurus manibus sella nititur; tertius denique qui ab illis columna Dorica seiunctus est, et ipse incertis passibus procedit, ut in terram praecipitaturus. In altero latere Ulixes barbatus et petasatus e sella surgens, chlamydem sinistra

---

1) Brizio, Museo Italiano di antichità classica 1888, II. 26. Imaginem photographicam benigne misit Christianus Huelsen.

proiciens gladio destricto in Circen invadit[1]), quae eum effugere vult. A sinistra Ulixis tres socii in bestias, in sues duo, tertius, ut videtur, in equum, mutati laetitia gestientes ad illum salutandum accurrunt; quae scena iam ex urnis Etruscis nota nunc primum in opere Graeco deprehenditur, cf. Od. *κ* 397: *ἔγνωσαν δέ μ' ἐκεῖνοι ἔφυν τ' ἐν χερσὶν ἕκαστος.* Circen quartus socius in arietem conversus praecurrit, sive nunc ipsum ab illa mutatus sive sociis in stabulis adhuc morantibus Ulixis adventum nuntiaturus.

Hoc ipsum stabulum, specum nimirum, in lecytho Atheniensi Eretriae effossa, nunc musei Atheniensis[2]), lepidissime expressum videmus. Cuius in ostio duo Ulixis socii, capitibus suillis praediti, conspiciuntur, alter more bestiarum quadrupedanter exeuns, alter manibus innisus ut bestia sedens.

Contra in amphora Etrusca musei Parmensis[3]), quae quarto saeculo non est antiquior, Ulixes destrictum gladium dextra, vaginam sinistra tenens Circae minitatur, quae manibus sublatis eum adspicit. Ad eius pedes Ulixis socius apri capite praeditus humi sedet manu dextra precandi gestum faciens. Videtur igitur Ulixes a dea postulare, ut socio pristinam formam restituat.

Alterum quoque amphorae latus Odysseae scenam exhibet; Ulixem enim ostendit, qui post reditum et a muliere, quae utrum Penelopa an Euryclea nominanda sit dubitari potest, et ab Argo cane salutatur.

Iam huic imagini pathetici aliquid inesse videmus; quod e scena tragica provenisse non iniuria dixeris. Multo

[1]) Critiae Aristogitonem, cum hanc figuram pingeret, sine dubio ante oculos habuit pictor.

[2]) Deltion archaeol. 1891 p. 5 n. 3; Perdrizet, Rev. archéol. 1897. 1, p. 36 fig. 6; Collignon et Couve, Catal. p. 450 n. 1374.

[3]) Mon. V, 41; Overbeck l. c. t. XXXII, 1. 2; Heydemann, Antikensamml. in Ober- und Mittelitalien, 3. Hall. Winckelm. Progr. 1879 p. 48 n. 43; Bolte l. c. p. 18 sq. B.

magis etiam idem in Hellenisticae et Romanae, quae ad eandem fabulam pertinent, operibus observari potest.

Sic in pictura Pompeiana stili quarti[1]) Ulixes gladium destringens in Circen, quae ut filia Solis nimbum gerit, invadit. Desunt, ut semper in posterioris aetatis operibus, socii commutati, quo magis imago ad Odysseae versus accommodaretur, sed adsunt ancillae duae. Ceterum hac in imagine, quae summam parietis partem occupat, artifex non tam tabulam quandam pictam, sed opus statuarium, quod eidem cyclo, de quo iam saepius locuti sumus, tribuere non dubitabis, imitatus esse videtur. Nam et Ulixis et Circes figurae prorsus statuarum similitudinem habent. Tum oecus, in quo versantur, exedrae semirotundae formam habet, ut specuum illorum, quae in summo tabernaculo Ptolemaei Philadelphi ad actorum convestitas figuras recipiendas comparata fuisse Callixenus narrat (apud Athen. V, 196 D.), memineris.

Eodem habitu in tabularum Iliacarum, quae dicuntur, Rondaniana, cui *ἐκ τῆς διηγήσεως τῆς πρὸς Ἀλκίνουν τοῦ κάππα* subscriptum est[2]), Ulixes in Circen invadit, sed gladium iam destrinxit et manu sinistra scutum gerit, Circe autem ad pedes eius prostrata genua eius complectitur. Ceterum, ut in huius generis tabulis par est, et quae antecedunt et quae sequuntur res singulis scenis expressae sunt; nam in parte superiore aulae, quae eodem modo disposita est atque in tabula Capitolina Priami aula, Circe virgam magicam tenens Ulixe adstante socios eius in homines rursus conversura est, qui ex stabulo laete procurrunt, apri caput duo priores, arietis tertius, quartus bovis gerentes. Denique ante aulae portam, ubi in tabula

[1]) Nunc deleta est: vide Mazois, Les ruines de Pompei 2, 85 t. 43; Zahn, Die schönsten Ornam. u. merkwürd. Gemälde aus Pomp. 3. t. 44; Overbeck l. c. t. XXXII. 11; Helbig, Campan. Wandgem. p. 293 sq. n. 1329; Bolte l. c. p. 24 *γ*.

[2]) O. Iahn, Griech. Bild. II. 7; Overbeck l. c. t. XXXII. 3; Bolte l. c. p. 24 *α*.

Capitolina Aeneam aufugientem invenimus, hic Mercurium Ulixi a nave venienti, quae eundem locum occupat atque illic classis Achivorum occurrentem et μῶλυ illud ei dantem videmus.[1])

Similiter in nummo contorniato a Sabatiero et Iahnio edito[2]) Circe ad Ulixis pedes se prosternit. Ulixem iuvenem esse effictum in tam serae aetatis opere non mireris. Circe praeter pallium nuda est et ut pote Solis filia coronam radiatam gerit. Supra eam in stabulo substructioni quadrati operis imposito tres Ulixis socii conversi conspiciuntur.

Ad pedes Ulixis prostratam Circen etiam in pariete Esquilino, qui Ulixis errores per topia ostendit[3]), videmus. Sed ibi Ulixes, iuvenis ut videtur, pileatus et clipeatus, ut in tabula Iliaca, sed pro gladio duo iacula gerens in sella sedet, dextra elata monendi gestum faciens. Circen hic primum corona radiata ornatam invenimus, ut in contorniato, de quo diximus. Poculum magicum, ut in omnibus huius aetatis imaginibus, ita hic quoque deest; sed abundat aula instrumentis magicis. A parte dextra Circes ancillula perterrita aufugit. Ut in picturis topiariis par est, quae hac in re prorsus cum tabulis Iliacis, scyphis qui dicuntur Homericis, sarcophagis congruunt, alia quoque eiusdem fabulae scena repraesentata est, nimirum Ulixis in aulam introitus. Circe dextra alte elata ei obviam it, dum ancillula illa eam comitatur.[4]) In inter-

[1]) Quid de anaglypho a Beato Rhenano in epistula (Rerum Germanicarum III, p. 193, ed. 1531., p. 205, ed. 1551.), qua monumenta a. 1531 Augustae Vindelicorum in domo Raimundi Fuggeri adservata enumerat, descripto iudicandum sit, in medio relinquo.

[2]) Sabatier, Méd. contorn. p. 62 t. 8. 13; Iahn, Arch. Zeit. 1865, p. 18 t. 194. 3; Bolte l. c. p. 24. ε.

[3]) Woermann, Antike Odysseelandsch. 1876; Nogara, Antichi Affreschi del Vaticano e del Laterano t. IX. sq.

[4]) Cf. Medeae in Peliae aulam introitum (Arch. Zeit. 1874, p. 134 sq. t. 13).

columnio antecedenti inter rupes tres figurae viriles conspiciuntur, quas socios ab Ulixe relictos esse suspicor, cum Nogara Woermannium secutus unum ex iis pro Ulixe habeat, alteram Woermannii opinionem, qui duos alios Ulixem et Mercurium vocaverat, recte respuens.

Denique in lucernis argillaceis, quarum unum exemplum in museo Britannico[1]) aliud in museo Berolinensi adservatur, Circe, ut in nummo contorniato et in pariete Esquilino corona radiata ornata, sed praeterea etiam sceptrum tenens, in sella sedet, dum Ulixes barbatus dextra gladium tangens tranquille cum ea conloqui videtur. Socii conversi similiter atque in nummo contorniato repraesentati sunt.

Contra in gemma, quae in Comitis Pourtalès museo est[2]), Circe stans est efficta, dum Ulixes in sella sedet.

In vasis Graecis enumerandis consulto omisi scyphos, duos in Cabirio Thebano effossos[3]), de quibus nunc verba facienda sunt. Circe facie et formis vulgaribus, ut cauponae similior sit quam Solis filiae, poculum amplissimum Ulixi offert, qui et ipse formis vulgaribus, barba hirsuta, in baculum pronus, potum accipere manibus distentis recusat; cum igitur hactenus mendicantis speciem praebeat, chlamydem tamen et gladium gerit. Post Ulixis terga Circes tela iugalis conspicitur, propter quam in uno exemplo socius Ulixis in suem conversus sedet, prorsus nova figura; nam cum ceterae omnes corporis partes suillae sint, pes sinister posterior humanus remansit.[4])

[1]) Walters, Anc. pot. II, p. 414 [25]; Iahn, Arch. Zeit. 1865, p. 20 t. 194. 4; Bolte l. c. p. 24. δ.

[2]) Dubois, Descr. des ant. de Pourtalès n. 1245; Catal. Pourtalès n. 1260; Bolte l. c. p. 24. ζ.

[3]) Unus in museo Britannico est: Walters, Journ. Hell. Stud. 1892./3, p. 77 sq. t. IV; Rev. des études Grecques 1894, p. 226; alter in museo Oxoniensi: Walters, Journ. Hell. St. 1892./3, p. 81; Froehner, Sale Catal. of Branth. coll. n. 210.

[4]) In altero latere Ulixes rate navigans conspicitur.

Quae socii conversi figura, ut in nullo alio opere Graeco invenitur, ita magnopere memoria dignum est eandem in tribus speculis Etruscis inter se simillimis[1]) recurrere, res satis mirabilis, cum vascula illa Cabirorum cultui destinata mercaturae via in Etruriam venisse vix credi possit.

Pertinent autem specula illa, si quidem inscriptionibus, quibus singulae figurae denotatae sunt, fidem habemus, et ipsa ad Circes fabulam. Videmus mulierem in sella sedentem, quae ambabus manibus sublatis summo terrore adfecta esse videtur (Cerca). A parte sinistra vir barbatus et praeter chlamydem nudus accedit, qui sinistra comam mulieris illius comprehendit, dextra illi gladio destricto minitatur (Uthste). A dextra parte iuvenis et ipse chlamydatus, sed simul pileo Phrygio tectus, sinistra arcum, dextra elata sagittam tenens (Felparun i. e. Elpenor) effictus est. Quodsi nomina illa susque illa biformis deessent, nemo de Ulixe et Circe cogitaret. Itaque verisimile est artificem Etruscum, id quod alioquin quoque accidisse constat, prorsus alius argumenti imaginem ad Circes fabulam rettulisse, suis illa figura ex alio exemplo, quod re vera ad fabulam illam pertinebat, addita. Exempli causa de Menelao Helenae post Troiam captam praesente Ulixe minitante non inepte cogitare possis.

Ex urnis Etruscis una tantum pro certo ad hanc fabulam referri potest; in ea nimirum, quae Florentiis in villa Rinucciniorum extat[2]), Ulixes barbatus, pileatus sinistra manu clipeum, dextra gladium tenens in Circen, quae a duabus ancillis circumdata in sella sedet, invadit, cum a sinistra Ulixis tres socii pateras manibus habentes humi iaceant, quorum umeris capita lupi et ovis insident;

---

[1]) Gerhard. Etrusk. Spiegel IV. 5 p. 62 sq. t. 403, 1. 2; Körte, Etr. Sp. V p. 223 n. 22; Bolte l. c. p. 21, a. b.

[2]) Duetschke, Ant. Bildw. in Oberitalien II, p. 126 sq. n. 313; Bolte l. c. p. 22 ⟨e⟩.

tertii caput deletum est. Paterae demonstrant socios convivio se dare.

De ceteris omnibus dubitari potest. In una, quae in museo Florentino adservatur (Brunn, t. LXXXVIII. 1), tres homines in bestias conversos potationem agentes videmus, quorum duo arietis caput gerunt, tertius, si Brunnius verum vidit, equi. Duo, qui tunica et toga vestiti sunt, humi cubant, tertius chlamydatus pedibus divaricatis adstat. Ante eum homo pileo tectus, tunica togaque vestitus, scutum gladiumque destrictum tenens dextrorsum spectat, unde satelles eius, tunicatus et caligatus, clipeum portans accurrit. Denique in urnae angulo dextro mulier magnam facem ardentem ambabus manibus tenens discedit, sed simul ad ceteras figuras respicit. Quodsi urnae Rinucciniorum memineris, potantes illos homines biformes pro Ulixis sociis haberi posse non negabis. Viri pileati figuram Ulixi optime convenire in aperto est. Sed dubium movet mulier illa cum face. Brunnius eam Circen esse putat, facem pro insigni daemonis habens. De nomine assentior, atque facem quoque fortasse recte Brunnius explicavit. Sed monendum est in pariete Esquilino inter Circes instrumenta magica faces quoque conspici, ita ut non tam daemonis, quam magae insigne esse videatur fax.

Quam urnam si memoria tenueris, non dubitabis, quin etiam urna Volaterrana (Brunn t. LXXXVIII. 3) a Brunnio recte huc relata sit[1]). Pars media deleta est, sed restant duo pedes varicati et media corporis pars figurae virilis dextrorsum conversae. Contra hanc figuram in alta sede mulierem eleganter vestitam et ornatam conspicimus, quae ex sede sua surgere velle videtur. Ante eam ancilla quaedam, ut delineatio docere videtur, servus, ut Brunnio visum est, posito genu lancem fructibus, ut videtur, ple-

---

[1]) In angulo dextro Telamonis instar Centauri nympham rapientis figura conlocata est.

nam ei offert. Altera ancilla, genibus et ipsa nixa, post sellae pedem anxie se occultat. Denique post figuram illam virilem tertia ancilla sinistrorsum abscedit. Iuxta mulierem sedentem furia alata facem ambabus manibus tenens in aere pendet. In angulo sinistro figura virilis pallio vestita humi sedet; caput deletum est, sed ferinum fuisse ex certis vestigiis cognoscitur. Iuxta eam vir capite leonino praeditus, pallio et ipse vestitus, adstat, qui manu sinistra urceum tenet, scilicet ut socio sedenti ministret. Quas figuras pro Ulixis sociis conversis habere cum non dubitaveris, mulierem sedentem Circen, virum medium urnae locum tenentem Ulixem esse, qui ei gladio destricto minitabatur, elucet. Hinc igitur alterius ancillae anxietas. Proprium harum imaginum est, quod Ulixis socios biformes non in stabulo degentes, sed laete bibentes conspicimus. Idem invenimus in scarabaeo Etrusco musei Petropolitani, qui socium Ulixis suillo capite praeditum in terra sedentem et manu dextra poculum tenentem ostendit [1]. Id quod, ni fallor, ad ethicam illius fabulae interpretationem referendum est, cuius primum vestigium iam in Aristophanis Pluti 302 sq. deprehendimus, scilicet homines voluptati servientes bestiarum instar esse, ut Athenaeus I. 10 e (Kaibel I, p. 23, 18) de Homero dicit: *τούς τε παρὰ Κίρκῃ λέοντας ποιεῖ καὶ λύκους ταῖς ἡδοναῖς ἐπακολουθήσαντας. τὸν δὲ Ὀδυσσέα σῴζει τῷ Ἑρμοῦ λόγῳ πεισθέντα. διὸ καὶ ἀπαθὴς γίνεται. Ἐλπήνορα δὲ πάροινον ὄντα καὶ τρυφερὸν κατακρημνίζει* [2].

Similiter in urna Volaterrana altera (t. LXXXVIII. 2) servus quidam Circes — nam eum Ulixem sociis pristinam formam restituentem esse Brunnio nullo modo concedere possum — ministri partes habet; nam dum sinistra urceum habet, pateram plenam Ithacensi cuidam offert, qui

[1]) Köhn, Mém. de la societé d'archéol. et de numism. de St. Pétersburg I, 1847, 71 t. 3, 15; Cades, Impr. gemm. 31 F. n. 14; Bolte l. c. p. 23 i.

[2]) Cf. R. Weber, Leipz. Stud. XI, p. 143 sq.

caput arietis gerit. Alter socius capite bovino praeditus arborem complectitur, non ad concutiendum, ut Brunnio visum est, sed ut ebrius se sustentet. Tertius, cuius caput equinum est, pallio vestitus, sinistra parvam pateram tenens sub arbore sedet, incipientis ebrietatis imago. Sed a dextra parte Circen dextra manu porculum tenentem abscedentem conspicimus. Bestiolam quoque, quam ante vini ministrum pedibus posterioribus se erigentem videmus, pro porculo quam cum Brunnio pro caniculo habere malo. Itaque hac in imagine mythica fabulae forma cum allegorica mixta est. Nam alii Ithacenses biformes vino se complent, alii in sues veras conversi in stabula deportantur.

Denique in ultima urna (t. LXXXIX) socii conversi Ulixem ut pote liberatorem suum laete amplectuntur. Ipse in medio pileatus, clipeatus, loricatus, caligatus conspicitur; dextrum bracchium eius socius arietino capite praeditus, scuti marginem alter, qui suis caput habet, comprehendit. A dextra parte tertius socius, cuius caput leoninum est, sinistro genu nixus sinistra manu galeae in terra iacenti imposita bracchio elato regem suum salutat. Similem scenam iam in cratera Bononiensi invenimus, vide supra p. 38. Furiae in utroque urnae angulo collocatae non ad actionem pertinent, sed mera ornamenta sunt.

Sui generis est gemma Etrusca, Tarquiniis effossa, quae Ulixem (Uthuze) cervum in insula Aeaea (Od. κ 158 sq.) venantem ostendit [1].

Tanta est Circes fabulae imaginum inde ab archaicae artis aetate varietas.

[1]) Notizie dei Lincei 1892 p. 155; Journ. Hell. St. 1892/3 p. 82.

Reliquorum capitum epitome.

Cum amplissimi ordinis philosophorum concessu pars tantum huius dissertationis prelis mandetur, ceterorum capitum summam hoc loco brevi adumbrabo.

Inde a quinto saeculo eae quoque Odysseae res, quae aut Ithacae aut in Phaeacum insula geruntur, depingi coeptae sunt. Clarissima exempla Polygnoti et Nausicaa[1]) et procorum caedes[2]) sunt, ex quibus picturis omnes eiusdem argumenti imagines posteriores magis minusve pendere videntur. Praeterea eodem tempore in anaglyphis figulinis Ionicis Ulixem mendicum, Eurycleam pedes domini lavantem, Penelopam maestam, procos petulantes invenimus. Eadem argumenta tum poetis scenicis in deliciis fuisse constat, e quorum tragoediis Niptrorum Sophocleorum scenas duas, Ulixem cum Euryclea, Telemachum cum Penelopa, in scypho Clusino[3]) offendimus. Penelopam a procis munera exigentem, quam scenam posteriore aetate in urnis Etruscis[4]) expressam videmus, in cratera musei Syracusani Eugenius Petersen[5]) indagavit. Etiam Argum, canem fidelem, dominnm suum recognoscentem eadem aetate in artis opera introductum esse gemma quaedam Italica[6]) docere videtur. Telemachi, rarissimae ceteroquin in arte figurae, nomen in vasculo solemne libationis schema exhibente[7]) iuveni advenienti, Nestoris seni eum salutanti adscriptum est, ita ut in aperto sit puellam pateram hospiti offerentem, quamquam nomine caret, pro Polycasta habendam esse. Denique Necyiam quoque primum a Polygnoto penicillo redditam esse constat[1]), multis tamen figuris additis, quae ab Odyssea alienae sunt. Quae pictura cum maior esset, quam quae a posterioribus artificibus repeti posset, quamquam Attalorum iussu descripta esse videtur, singulas eius figuras, velut Thamyram, pictores vascularii in usum suum convertisse videntur. Sed ceteris, quae aetatem tulerunt, eiusdem argumenti imaginibus nihil cum Polygnoteo hoc opere commune est, neque craterae Pisticciensi, quae Ulixem cum sociis et Tiresiam ostendit[2]), neque sepulcri Tarquiniensis parieti[3]), quamquam eum quoque Odysseae Necyiam exprimere, alienis sane figuris additis, ex eo elucet, quod in eiusdem sepulcri camera laterali Cyclops effictus est (vide supra p. 8), neque denique parieti Esquilino.[4])

[1]) Cf. Pausaniae I, 22. 6.
[2]) Cf. Pausaniae XI, 41.
[3]) Conze, Ann. 1872 p. 187 sq.; Mon. IX t. 42, 1. 2.
[4]) Brunn t. LXXXXV, 1. 2.
[5]) Röm. Mitteil. 1892 p. 181 sq.
[6]) Furtwängler, Ant. Gemmen t. XXIV. 5.
[7]) Vinet, Rev. archéol. 1845. II. 2. t. 40; Furtwängler, Berlin. Vasens. n. 3289.

Omnes autem, quae quinto saeculo extiterunt, imagines ethici aliquid habent, quod etiam in fabularum magis portentosarum imagines, quae ex vetustioribus exemplis pendebant, quantum fieri poterat, illatum esse supra vidimus.

Saeculo quinto exeunte, cum tabularum pictura floreret, pathetici aliquid accedit. Ulixem in Ogygia insula patriae desiderio cruciatum cassidis bucca, quae in museo Berolinensi adservatur[5]), ostendit, quae figura sine dubio ex tabula quadam picta deprompta est. Eodem fere tempore Scyllam Ulixis socios rapientem Androcydes[6]) et Nicomachus[7]) primi imagine ostenderunt, quamquam Scyllam ipsam iam multo antea in nummis Cumanis et Cyzicenis offendimus. De cuius figura ab Odysseae descriptione (μ 85 sq.) quam diversissima hoc loco disserere eo magis supersedere possum, quod Roberti Zahnii hac de re disputationem summo cum desiderio exspectatam

[1]) Quam picturam Pausanias X, 28 sq. accurate descripsit.
[2]) Furtwängler-Reichhold, Griech. Vasenmalerei p. 300 sq. t. 60.
[3]) Helbig, Ann. 1870 p. 24 sq.; Mon. IX t. 15, 1—6, a—e.
[4]) Nogara l. c. t. XII, XXIII—XXVI, XXXI. A.
[5]) v. Sybel, Jahrb. 1887 p. 17 sq. t. I.
[6]) Cf. Athenaei VIII, 341 a; Plut., quaest., conviv. IV, 2.3; 4.2.
[7]) Cf. Plinii XXXV. 50.

brevi prodituram esse comperi. Ulixem in rate Pamphilus, summus eius temporis pictor, repraesentavit[1]). Denique silentio non praetermittendae sunt Odysseae imagines iocose depravatae, quae aut ex mysteriis, velut Cabirorum, aut ex comoedia, Rhintonica maxime, pendent.

Hellenistica, quam dicunt, et Romana aetate imaginum cycli vigere coeperunt, quam ad rem multum neque tamen sola librorum illustrandorum consuetudo valuit; statuaria dico opera, de quorum reliquiis in capite primo disputavimus, scyphos qui dicuntur Homericos, picturas topiarias, sarcophagos. Quae opera ut omnia, quae antiquioribus temporibus creata erant, in se receperunt, ita, cum totum poema imaginibus illustrandum esset, fieri non potuit, quin etiam prorsus novae scenae illo tempore primum imagine exprimerentur. Quae autem singulares tunc temporis occurrunt scenae, eas fere omnes magis minusve ex cyclis illis pendere atque ad restituendos eos maximi momenti esse arbitror.

---

[1]) Cf. Plinii XXXV. 76.

Index rerum.

Vita.

Natus sum Rudolphus Ericus Franciscus Müller a. d. VIII. kal. Febr. a. 1886 Magdeburgi in urbe provinciae Saxonicae patre Ottono, qui tum in ea urbe praetor erat, matre Bertha e gente Schalck, quos ambo mihi ante hos septem annos morte ereptos esse valde doleo. Borussus sum, fidem profiteor evangelicam. Per quattuor et dimidium annos gymnasium Magdeburgense, cui a Wilhelm I. rege nomen est, frequentavi, a. 1899 Halas transgressus in gymnasium huius urbis receptus sum, quod adhuc directore Francisco Friedersdorff floret, viro doctissimo optimeque de me merito. Inde vere a. 1904 cum maturitatis testimonio dimissus academiae Halensi adscriptus sum, ut studiis philologicis historicisque me dederem, ubi ad hoc tempus in numero fui civium academicorum.

Docuerunt me vel adhuc docent viri doctissimi: G. Aschaffenburg, Fr. Bechtel, Fr. Blass†, W. Dittenberger†, G. Droysen, W. Fries, K. Heldmann, O. Kern, Chr. Muff, B. Niese, R. Rehme, A. Riehl, C. Robert, G. Sobernheim, Th. Sommerlad, H. Vaihinger, U. Wilcken, G. Wissowa, E. Wüst. Ad exercitationes me benigne admiserunt philologicas: Blass, M. Consbruch, Dittenberger, M. Ihm, Wissowa, historicas: Droysen, Niese, epigraphicas: Heldmann, archaeologicas: Robert.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas, imprimis Carolo Robert, qui et singulari benevolentia ac propensa voluntate studiis meis consuluit et in hac dissertatione componenda opera consilioque me adiuvit, et Georgio Wissowa, qui semper magister fautorque studiorum benignissimus mihi fuit.